



F. 253

Abd Simplicem usum Con-
cessus fr Lino Kierschke
Conc. Ord: Sabæij 1772
ab Am: R: F: Augustino
Rapkain Ministero Proali
Actuali.

L



O C T A V A
SERAPHICA
RELIGIOSO
SPIRITUALIA
EXERCITIA FACIENTI
Singulis annis per Octo Continuos
Dies Studiosè pariter ac devote
celebranda...

BIBLIOTECA
ASTRA
SIBIU

A U T H O R E,

P. F. Æmiliano Nieberle Ord. S.
Francisci FF. Minor. Recollect. Provin-
ciæ Argentinæ seu Germaniæ Superioris p. t.
Conventus Augustani ad S. Sepulchrum Con-
cionatore Ordinatio.

Cum Facultate Superiorum.

Reimpressum : In Conventu Csikiensi.

Sumptibus Spect. ac Generosi D.

MICHAELIS BORS.

120 Anno M. D. CC. XXX. III.

Sedebit solitarius, & tacebit: quia levavit se super se. Thren. 3.28.

O sancta anima sola esto, ut soli omnium
serves teipsum, quem ex omnibus tibi
elegisti. Euge publicum, fuge & ipsos
domesticos, secede ab amicis & inimi-
cis, & ab illo, qui tibi ministrat. An-
nescis te Verecundum habere sponsum,
& qui nequaquam suam velit tibi in-
dulgere presentiam presentibus ceteris?
S. Bernard. Ser. 40. in Cant.

S P E C T A B I L I ,
A C
G E N E R O S O D O M I N O
M I C H A E L I B O R S ,
V E N E R A B I L I S C O N V E N T U S C S I -
K I E N S I S F R A T R U M M I N O R U M S . P . N .
F R A N C I S C I S t r i c t i o r i s O b s e r v a n t i æ P a -
t e n t i S p i r i t u a l i , a c M o e c e n a t i O b s e -
r v a n d i s s i m o .

Quem Zenonis in Stoâ, sive Musæo ex-
tensionis contingo gradum, hunc in
Ambroso Divi Mediolanensem Pra-
fulis alveario virtutum reperi complemen-
tum. Ibi Stoicorum putatius sistit termi-
nus, hic Ascetarum perfectissimus recensetur
calculus. Commune Peripateticis octauum
perfectioni designare gradum, notissima verè
Divi Ambrosii parœmia: Sicut -- spei no-
stræ octava perfectio est, ita octava sum-
ma virtutum est. I. 5. in Luc. c. 6. Tot-
idem apud S. Evangelistam Matthæum c. 5.
numero Beatitudinæ. Frequentissimus pro-

fecto octonarius numerus, hinc Sapientibus
auream imponens coronam, illinc insipienti-
bus plumbeam inficens agidem. Unde non im-
merito quoque SERAPHICA hac ad volat
OCTAVA ad Te Parens nobis Obser-
vandissime, Seraphicus inquam spiritus ille,
qui olim Divo Patriarchae nostro Francisco sex-
alis in monte Alvernia instructus apparuerat,
& ad capessendam paupertatis nostræ osta-
vam, jam tum preparaverat. Nunc tandem
assumptis alis duabus è Superiore Germania
in fines usque nostros penetravit, Tuisque
latissimis sub tectis nidum texere humiliter
effligitavit. Et ubi obsecro domicilium conve-
nientius nancisceretur solitarius ille spiritus,
nisi apud Eum, qui cum Psalte Regio factus
est sicut Nisticorax in domicilio, & sicut
passer solitarius in tecto. Apud Te SPE-
CTABILIS, ac GENEROSE DOMINE,
cui nihil antiquius, quam ad instar columba
gementis in foraminibus petrae cogitare dies
antiquos, & annos aeternos rememorare.
Quem magis Seraphicus contingat gradus
octavus, quam Te, qui Seraphicis usque ad
bustum succensus ardoribus Religionis zelum,
pietatis institutum, hospitalitatis exemplum
Posteritati transplantasti? Patere igitur
SPECTABILIS, ac GENEROSE DO-

MINE peregrinum illum spiritum Tuis sub
AUSPICIIS paululum immorari. Quoadus-
que plus quam emula solis ales lucis obtuti-
bus occurrere valeat, alisque Seraphicis tuum,
nostrumve cor contegens contra stygias quas-
vis harpyas tueatur, & ad octavum perfectio-
nis gradum in terris deducat, donec octo sæ-
pius recensit is beatitudinibus in Cælis perfrui
faciat.

Ita precatur

Tibi devotissima Familia
Seraphica Transylvanica.

X 3

F A -

FACULTAS
A. R. P. PROVINCIALIS.

FRATER PAULUS GEORFFI,
Provincia Transylvanica Ordinis Mi-
norum S. P. N. FRANCISCI Stri-
etioris Observantiae Tituli S. REGIS
STEPHANI Minister Provincialis.

Cum præsens libellus, qui OCTAVA SERAPHICA inscribitur, olim à R. Patre Fratre Æmiliano Nieberle Almæ Provinciæ Argentinæ Fratrum Minorum Recollectorum, eximio DEI Præcone in profectum Alumnorum Ordinis Seraphici compositus, quibusvis etiam aliis, & cujuscunque statu devotis animabus deservire possit, ad ponendos rectos gressus in via salutis, harum nostrarum vigore, Typographis nostri Venerab. Conventus Beatæ Virginis Visitantis facultatem facimus, ut preli beneficio, publicæ utilitati in lucem proferendo reimprimendo proferre valeant, ac possint. In quorum fidem has manu pro-

propria, ac consveto Officii minore Si-
gillo munita defuper expediri jussi-
mus, in hoc ipso Conventu Beatæ Vir-
ginis Visitantis de Csik Somlyó. Annô
1732. Die 27. Augus̄ti.

FR. PAULUS GYÖRFFI
MINISTER Proalis.
M. P.

LS.

X 4

APPRO-

APPROBATIO THEOLOGI-
ca Ordinis.

Renovamini Spiritu mentis vestrae, & induite novum hominem, qui secundum DEUM creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis. Ephes. 4. v. 23. Id, quod hortatur Apostolus, docet haec OCTAVA SERAPHICA à V. P. Æmiliano Nieberle Conventus Augustani Concionatore instructa, & à me ex mandato A.R.P. Sebastiani Höls actualis Ministri Provincialis lecta; vitam enim ut emendes, vitia præteritæ extirpando, futuræ studiosè præcavendo, virtutes vero implantando: Teporem ut excutias, novum Spiritus fervorem concepiendo, in via mandatorum DEI & Regulæ observantia strenuè progrediendo: Favores cœlestes ut augere, & gratias divinas, quibus Spiritus vivificatur, renovatur, robatur, copiosius consequi, & accumulare valeas, normam exactam tradit, urgentes addit stimulus, suggeritque modos. Cùm præterea nihil

hil contra Fidem Orthodoxam, Sacra Ecclesiæ dogmata, aut bonos mores contineat, sed hos vel renovare doceat, vel integros conservare instruat, luce publica in multorum utilitatem omnino dignam censeo, ex Conventu nostro Salisburgensi, 10. Septembr. 1714.

*Fr. Marinus Panger,
SS. Theologiæ Lector Ju-
bilatus.*

EX Mandato Admodum Reverendi P. M. Provincialis opusculum hoc, cui titulus: OCTAVA SERAPHICA, à V. P. F. Æmiliano Nieberle Ord. Min. S. P. Francisci Recollect. Provinciæ Argentinensis, seu Germaniæ Superioris Concionatore actuali, exquisitô studiô elaboratum, studiosè perlegi. Quod nullâ omnino Censurâ, verùm omni aestimatione dignum censeo: Nam si verba movent, exempla trahunt, ut habet adagium: utramque sibi laudem Vendicat OCTAVA isthac SERAPHI- CA;

CA; cum quia lectissimis quā scripturā, quā Patrum iacentiis locupletata est, cum quia rarīs, iisque semper ē renata, exemplis illustrata, viatori Seraphico ad cœleitem Iatricam ducatum præstat. Ideo OCTAVA SERAPHICA, ut Seraphici Patriarchæ filii (quem utilitati prælaudatus Author præcipue velificatur) familiarem illius usum sanè fructuosum, experiantur, in lucem prodeat, typo, lectu, & imitacione dignissima. Dabam in Conventu nostro Salisburgensi FF. Min. Recollect. die 10. Mensis Septembris Annō partus Virginei 1714.

*Fr. Victorianus Steidle,
ejusdem Ord. & Provin-
ciae in Conventu nostro Sa-
lisburg. SS. Theolog. Le-
ctor Ordinarius.*

APPROBATIO ORDINARII.

OCTAVA hæc SERAPHICA (seu Exercitia spiritualia) Ordini Seraphico


phico maximè accommodata; imò ad omnium in hujusmodi lacris Palæstris sese exercitantium usum ut Octo elaborata, errores fidei, & caliginem interni hominis longè propulsat, & Seraphicis moribus per Seraphicos stimulos, quibus præctica hæc doctrina abundat, calcant addunt, & quatenus omnes permovere queant, hisce ad prelum promovere volui. Augustæ Vind. die 29.
Octobr. Año. 1714.

*Joann. Michaël Sembler,
SS. Theolog. D. Reverendiss.
ac Sereniss. Episc. Aug. Conf.
ac Major. Penitentiar. Infig.
Ecclesiæ Colle. ad S. Mauriti-
um Canon. Libror. Censor.*

*Imprimatur. H. S. Ex Vi-
cariatu Aug die 2. No-
vembris 1714.*

*Jo. Casimirus Episcop. Amy-
clensis Suffrag. & Vica. Ge-
neralis.*

R U.





RUBRICÆ GENERALES.

I.

Octava hæc, habens pro septem horis Canonicas, tres meditationes, duas Lectiones, & duo morum examina, (ad libitum superioris, à subditis sub præcepto celebranda,) privilegiata est; omnia enim negotia infra illam occurrentia, & concurrentia, animam non concernentia, transferantur. Sæculares rumores, alloquia non necessaria, & familiaritates omnes præscinde omnino. Cum nemine, nisi cum Deo, & tuo Patre spirituali age. De nullo, nisi de tua majori perfectione, ac æternitatis negotio tracta.

2. Ingenti salutis tuxæ desideriô hæc facienda exercitia aggredere, ita in ea incumbere, ac si essent ultima, tibique sub finem illorum moriendum esset. Hæc sunt aptissima ad perfectionem acquirendam instrumenta, tempus male-

impensum resarciant, cognitionem defectuum demonstrant, radices peccatorum ac imperfectionum investigant, præteritam culpam diluunt, vitæ emendationem proponunt, languentem spiritum excitant, intentionem ultimi finis revocant, ampliorem DEI gratiam promerentur, hominem terrena- rum affectionum vinculis solutum, ad Christum perducunt, verbō; veterem hominem felici metamorphosi in novum transponunt.

3. Per hos octo dies nihil boni faciendi omittit, nihil mali omittendi committit. Manè evigilans protinus te è strato proripe, Hymnum: *Veni Creator spiritus &c.* cum versu: *Emitte spiritum &c.* & Collecta: *Deus, qui corda fidelium &c.* pro felici Exercitiorum die recita. Electi Patroni opem & intercessionem singulariter sub aurora, & deinde etiam saepius per diem implora. Fiat quoque electio tesseræ spiritualis, seu orationis jaculatoriæ; identidem per diem repetenda: Certam in singulas hujus Octavæ ferias tibi assigno; si aptiorem nōsti, utere in nomine Domini. 4. Me-

4. Meditationes sugggerunt cogitationes simplices, faciles, per vadentes, & ad pium motum idoneas. Memoriae juvandæ gratiâ, materiam plerumque coëgi in figuræ Rhetoricas: Intellectus illuminandi causâ, volui in præfigendis motivis inveniri prolixior, ut sic voluntatis dirigendæ desideriô in fine cujuslibet puncti plerumque affectus indigo, tu fructuose prosequeris. Sententiæ ad initium, cujuslibet puncti appositiæ sunt aptæ ad convincendum, quia veritatis æternæ.

5. Binas assigno Lectiones, si tibi meditatio singulis insistenti, una, in duas divisa, sufficiat, minimè ages contra has Rubricas. Poteris omissas dein tempore tibi commodo supplere. Non cursum, sed tractim legendum est, ut divinis illustrationibus locus detur, subinde parumper subsistendo, lecta recolligendo, aspirationes pias inferendo, proposita, lectioni correspondentia, elicendo, & qua ratione ad praxim redu-

ci possint, despiciendo, quæ etiam
cùm usus feret, practicè compleantur.

6. Nolle m, omittentes præscripta me-
rum examina; illa enim & tui ipsius, &
tuarum passionum, inclinationum, im-
perfectionum tibi accuratiorem notiti-
am ingerent. Hinc secum remedia
contra relapsus vehunt: Tui muneric
erit, ea non obiter, sed consideratè per-
legere, ac impigrè adhibere. Omnes
tuas culpas divinare non potui, bene-
facies, si te ipsum penitus disquires, &
media tibi proportionata ad menda
emendanda sollicitè inquires. Talis au-
tem est.

Distributio temporis.

Hora 12. noctis recitatio matutini ac
laudum Canonicarum in choro. Medi-
tatio prima, deinde quies.

5. Surgit. Cætera de more peragit.
Visitatio Venerabilis, Patroni, & ora-
tionis jaculatoriaræ electio.

6. Recitatio horarum Canonicarum
cum choro usque ad nonam exclusivè.

7. Ad Missam præparatio, celebra-
tio, & post eam graciarum actio.

8. Le-

8. Lectio matutina. Examen in vitam & mores. Revisio punctorum secundarum meditationis.

9. Meditatio secunda.

10. Recitatio Nonæ Canonicae cura choro. Examen conscientiæ & particulae. Postea prandium, preces pro benefactoribus, & parvula recollectio.

11. Visicatio Patris spiritualis; in ejus verò absentia exercitium corporale, aut Rosarii, aliarumque devotionarum persolutio.

1. Visitatio Venerabilis, annotatio propositorum, ac luminum excellenterum.

2. Lectio Vespertina. Examen in vitam & mores. Visitatio Venerabilis.

3. Vesperæ, & Completorium. Litaniæ Lauretanæ. Revisio punctorum Meditationis tertiae.

4. Meditatio.

5. Cœna. Preces pro benefactoribus. Parvula recollectio.

6. Conferentia cum patre spirituali; in ejus autem absentia exercitium corporale, aut preces vocales, aut lectio, aut scriptio.

7. Visitatio Venerabilis. Examen conscientiae & particulare. Preces Vespertinales. Revisio punctorum pro meditatione post matutinum.

8. Quies.

Nolumus tamen spiritum exercitiae facientis alligare ; sed poterit ad libitum, prout ei melius videbitur , modò huic modò alteri exercitio plus minusve temporis impendere. Ubi aliquod temporis spatium vacans inveneris, ibi poteris ex libello de imitatione Christi sequentia capitula percurrere.

Distributio lectionum.

Ex libello de imitatione Christi.

Ante meridiem,	post meridiem,
Die Primo. lib. 3. cap. 9.	lib. 3. cap. 10.
Secundo. lib. 1. cap. 13.	lib. 1. cap. 6.
Tertio.	lib. 1. cap. 23.
Quarto.	lib. 1. cap. 17
Quinto.	lib. 1. cap. 20.
Sexto.	lib. 1. cap. 19.
Septimo.	lib. 1. cap. 9..
Octavo.	lib. 1. cap. 1.
	lib. 2. cap. 12.
	lib. 3. cap. 5.
	lib. 1. cap. 16.
	lib. 3. cap. 21.
	lib. 3. cap. 49.



INSTRUCTIO

Pro

Confessione Generali.

PLurimi sunt, qui in suis exercitiis etiam Confessionem Generalem instituunt, & non pauci ex his Confessionis specula, seu varios peccatorum Catalogos desiderant, ut juxta illos suæ conscientiæ examen eò accuratiùs formare possint. In gratiam horum hic tales catalogum appono; quamvis necessum non foret; qui enim suam vitam ex intra ponendis examinibus benè discussit, is facile perfectam sui ipsius notitiam acquiret.

Variæ autem utilitates sunt, quæ ex ejusmodi confessionibus hauriri solent.

1. Cautè suppletur, si quid forte in aliis Confessionibus particularibus defuisse.
2. Acquiritur major ac certior cognitio statûs animæ nostræ, dum totius vitæ spiritualem miseriam præ oculis habemus.
3. Excitatur pœnitens ad

majorem dolorem, confusionem, ac satisfaciendi studium, dum universa sua peccata in uno quasi cumulo conspicit.

4. Majore inflammatur amore, ita ut & ipse cum Maria Magdalena incipiat diligere multum, quia cognoscit, tam multa sibi remissa fuisse peccata.

5. Facit, ut DEI misericordiam magis admireremur & exaltemus, qui nos tam diu & patienter ad pœnitentiam exspectavit.

6. Excitat in nobis bona proposita aliter vitam ordinandi, & gratiam DEI serventiū implorandi.

7. Dat Confessario perfectiorem interioris statūs notitiam, ut salubria monita, & infirmitatibus nostris opportuna remedia præscribere possit.

8. Denique quotidiana testatur experientia, ex tali confessione maximum fructum ineffabilem lætitiam, & singularem conscientiæ pacem colligi. Repertæ sunt animæ, quæ antea semper anxiæ, scrupulosæ, & inquietæ suerunt, postea autem adeo pacatæ, contentæ, & serenæ factæ sunt, ut præ gudio etiam uberrimas lachrymas fuderint. Tu quoque, si hanc confessionem

tite peregeris, senti de Domino in bonitate, depone cum magna in DEUM fiducia omnem solicitudinem de remissione peccatorum, retine de præteritis peccatis nihil nisi dolorem, & ita in decretis melioris vitæ persiste, quasi novum hominem induisses, sicut revera induisti.

Debet quidem generalis confessio cum accurata sui ipsius discussione, intenso dolore, firmissimo proposito, atque tanta humilitate, sinceritate, ac integritate peragi, quasi ultima foret, & statim post eam moriendum esset. Attamen non opus est, ut omnino summam, strictissimam, & scrupulosam diligentiam adhibeas; hoc enim nimis difficile foret, & redderet hoc saluberrimum sacramentum valde odiosum. Deinde legitimam quoque confessionem facies, licet non omnia peccata mortalia, quæ olim jam debitè confessus es, explicares: nisi forte speciali tui Ordinis statuto ad annuam generalem Confessionem obligeris. Denique Religiosus timoratus facile præ oculis habet,

si gravius deliquit. Tandem crebra experientia docuit : ex ejusmodi nimia sui ipsius discussione sæpè plus perturbationis & detrimenti, quam quietis ac emolumenti reportari. Sequere proinde Doctorem nostrum subtilem, qui in 4.d. 17.q. Unicā n. 19. determinat debere esse *inquisitionem diligenter secundum possibilitatem fragilitatis humanae*, nempe si tantam diligentiam adhibeas, quantum apponeres circa aliquid arduum negotium, quod tibi multum esset cordi.

Porrò ad facilitandum examen percurre præcepta DEI, Ecclesiæ, Regulæ, ac statutorum tuorum. Recogita tuas proclivitates, passiones, propensiones, inclinationes, tentationes, quibus sp̄c̄ius succumbere soles. In mentem revoca tempora, loca, itinera, obedientias, personas, occasiones, quibus proxima generali confessione distentus fuisti. Reflecte te ad examina, quæ in his exercitiis ad recognoscendos & reformatos mores proponuntur. Perlege attentè sequens peccatorum Cathalogum; & ubi te deliquisse inveneris,

ibi

ibi etiam simul bene animadverte, an liberè & deliberatè id feceris? an verò ex motu primò primo, aut alia causa excusante? Itaque pœnitens seipsum examinabit imprimis.

Circa DEUM.

1. An in rebus fidei dubitaverit, vel aliquem articulum omnino negaverit?
2. An sciens legerit libros hæreticos aut magicos?
3. An usus fuerit superstitionibus?
4. An diffidentiam aliquam, aut pusillanimitatem contra bonitatem divinam admirerit?
5. An desperaverit de emendatione consequenda?
6. An nimium præsumendo de divina misericordia aliquod peccatum commiserit?
7. An res creatas inordinato amore prosecutus sit, sicque DEUM purè & extoro corde non dilexerit?
8. An in adversis se in divinam voluntatem resignaverit?
9. An contra DEUM murmuraverit?

10. An ob aliquod donum naturale,
vel supernaturale superbierit, il-
ludque suis viribus adscripserit?
11. An complacuerit sibi in peccato
mortali admisso?
12. An divinis inspirationibus & gra-
tiis cooperatus fuerit?
13. An pro acceptis beneficiis DEO
debitas gratias persolverit?
14. An DEUM, vel sanctos illius
blasphemaverit?
15. An DEUM temerario quodam
juramento vel perjurio offendere-
rit?
16. An votum aliquod transgressus
fuerit?

Circa divinum Officium.

1. An divinum Officium, vel nota-
bilem ejus partem omiserit?
2. An illud cum debita intentione,
attentione, reverentia & decen-
tia recitaverit?
3. An sub horis canonicis & aliis pre-
cibus voluntariè distractus fuerit?
4. An nimis festinanter verba pro-
nuntiaverit?

5. An recitando cum aliis ad eorum verba attenderit?
6. An ordinem inverterit postponendo quod anteponendum fuisset?
7. An unum Officium pro alio recitaverit?
8. An per aliquod tempus sine justa causa horas interruperit?
9. An determinatis horis, cum potuisse, horas canonicas legerit?
10. An in choro ridendo, jocando, hue illucque curiosè circumspiceret?
11. An cantando in choro propriam complacentiam ac laudem intendet?

Circa Missam & alias devotiones.

1. An in statu peccati mortalis celebraverit, aliudve Sacramentum administraverit?
2. An cum debita præparatione sacerdotum accesserit?
3. An rubricas missalis observaverit?
4. An in aliquo erraverit, aut verba sat distinctè pronunciaverit?

5. An voluntariè aliquid omiserit, mutaverit vel adjunxerit?
6. An ante matutinum persolutum, absque legitima causa, celebraverit?
7. An præscriptas orationes, dum se sacriss paramentis induit, dixerit?
8. An sacrificium pro illi semper applicaverit, quibus erat obligatus?
9. An peractō sacrificiō debitas Deo gratias egerit?
10. An cum debita devotione & reverentia Augustissimum Altaris sacramentum ministraverit, seu aliquam ejus particulam ex manibus cadere permiserit, & num in tali casu, id quod Rubricæ præcipiunt, fecerit?
11. An in excipiendis confessionibus suo Officio satisfecerit?
12. An quoties quo examine, dolore, proposito, vitæ emendatione ipsemet confessus fuerit?
13. An & quomodo injunctam pœnitentiam impleverit?
14. An ad perfectionem Religiosam tendere studuerit? 15. An

15. An ea, quæ Regulæ, & religioni debet, observaverit?
16. An solitas orationes, devotiones, sacrum, divina officia, preces manè & vespere, ante & post mensam, examen conscientiæ, confetas mortificationes, rigores ordinis, claustralem disciplinam observaverit?
17. De Regulæ observantia vide infra de Obedientia. De paupertate. De castitate. De usu temporis. De vitiis lingvæ. De Oratione.

Circa Proximum.

1. An alios irâ, odiô, invidiâ, adversione prosecutus fuerit?
2. An proximum suspicione, judiciô temerariô, detractione, irritione, subsannatione, murmuratione, mordacibus verbis, in honestis convitiis & agnominiibus offenderit?
3. An opere aliquid contra eum admiserit?
4. An alicui mortem, aut quodcun-

- cunque aliud malum optaverit?
5. An verbis cum aliis contenderit, & cedere noluerit, ne videretur victus?
 6. An arroganter alios contempserit?
 7. An provocaverit alios ad peccatum?
 8. An seminaverit discordias inter alios, & quod malum inde consecutum fuerit?
 9. An malo consiliō, exemplō, scandalō, praeceptō, laudatione, adulacione, approbatione se alienorum peccatorum participem fecerit?
 10. An in 7. vitiis capitalibus contra Deum, seipsum, aut proximum peccaverit?

Circum cogitationes, verba & opera.

Ulterius te ipsum discute, singulis verbis parum insistendo, an voluntariè in animum receperis cogitationes otiosas, inutiles, vanas, superbas, ambitiones, avaras, gulosas, impuras, suspiciosas, temerarias, iracundas, odiosas, invidiosas, dubiosas, fraudulentas, pusillanimes, &c.

An

An dixeris verba otiosa, inconsiderata, superba, jactabunda, mendacia, exaggerantia, ambigua, instigatoria, susurratoria, aculeata, iracunda, injuriosa, contentiosa, amara, irritoria, detractoria, simulatoria, fraudulenta, adulatoria, impudica, &c.?

An feceris opera inutilia, vana, inordinata, inobedientia, hypocritica, sacrilega, immunda, incasta, temeraria, presumptuosa, indiscreta, acediosa, &c.

Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur. Prov. 28. 12.



VISITATIONES ET SALU-
TATIONES SANCTISSIMI

Altaris Sacramenti tem-
pore Exercitiorum.

Mane.

Benedictum sit sanctissimum
Altaris Sacramentum.

Salve Venerabile & sanctissimum Altaris Sacramentum, nobilissimum Corpus Salvatoris mei, DEUS meus & omnia. Salve, ô JESU, fili DEI & Virginis. Firmissime credo, quod sub his panis speciebus verè continearis; in hac fide & vivere volo, & mori desidero, paratus pro ea etiam vitam & sanguinem fundere. Salve, ô JESU, spei & salutis meæ alimentum, spero in te; hic enim sanguis tuus mihi cœlum aperit, plus valet vel unica ejus gutta; quam tota cœlestis gloria. Salve, ô JESU, amoris Sacerdos & victima, ex toto corde amo te; quia & tu sic amasti me, ut in cibum dares te.

Te, ô bone JESU, summâ reverentia
toti-

totius universitatis saluto, & amplector: Te promptissimō obsequiō omnium Angelorum colo, & veneror: Te amorosa devotione omnium sanctorum laudo & glorifico: Te tenerrimo affectu omnium Electorum tuorum benedico & invoco; Te in unione istius adorantis, quā hūmanitas tua adoravit divinitatem, adoro, & honoro.

Quot cœli sydera, quot terræ graminea, tot multiplices ex intimo corde tibi gratias ago, quod hoc Sacramentum instituere, & hīc amore mei delitescere volueris: Quot frondes nemorum, quot folia arborum tot multiplicatis contritionibus quam intensissimè doleo, quod te DEUM meum super omnia dilectum unquam offendiderim, non amplius, non amplius te offendam, hoc exercitorum tempus erit meæ conversionis ac melioris vitæ initium. Quot pori corporum, quot puncta temporum, tot vicibus me tibi quam plenissimè resigno, tuum sanctissimum beneplacatum est meum unicum desiderium, nunc & in perpetuum. Quot squamæ pisces

piscium, quot pennæ volucrum, tot
repetitis oblationibus in saera hac hostia
ego te, & unâ tecum etiam me æterno
tuo Patri offero.

Dulcis Advocate, respice in me oculis misericordiae tuæ, suscipe salutis meæ causam in te, offer amantissimo tuo Patri tua pro me merita, ut mihi remittat mea debita, supple imperfetum meum, & da gratiam, ut imposterum juxta vocationem meam vivam. Fac ut te pane Angelorum hinc dignè fruar in vita, devotè in morte, ac beatè in patria, Amen.

Ante Nonam Canonicas.

Salve benedictè JESU, vita & dulcedo cordis mei, requies & amor animæ meæ, sponse & dilectè votorum meorum, benedic mihi indignissimo servulo tuo, ut per te benedictionem referam, qui de me maledictionis reus sum.

Salve, desideratissime JESU, panis Angelorum & filiorum, da ut Angelicè vivam, & semper tè esuriam: suscipe me in filium tuum, & monstra tè esse patrem meum.

Sal-

Salve piissime JESU, salutis meæ
preium, & pignus futuræ gloriæ, noli
pati, ut frustra pro me erogatum sit,
quod tantis amoris & doloris impensis
te constitit: Refice me donis tuæ gra-
tiæ, ut dignè fruar hoc pignore tuæ
gloriæ.

Salve, dilectissime JESU, ignis & esca
amoris, Rex cordis, & amor amoris,
quomodo amabo te? amore mei de cœ-
lo descendisti, & te ipsum in epulum
amoris dedisti. Ter amabilis es, & Dei-
tate, quæ purus amor est, & humani-
tate, quæ miraculum amoris est, & Alt-
aris Sacramento, quod amoris cibus
est. Possumne hoc cogitare, te hic visi-
tare, & non amare? age, anima mea,
quantum potes, tantum readama, sic
amantem te. Ultinam sursum euchar,
& corpus hoc meum vertatur in lampa-
dem, sanguis in oleum, ossa in lychnum,
anima in flammarum, ut ego ita terram
inter & cœlum suspensa lampas diebus
ac noctibus amoris igne ardeam, &
amare non amplius desinam, Amen.

Post prandium horâ primâ.

Salve saluberrima salus int̄rmorum,
 salve lux pulcherrima in tenebris cœcorum: Salve desiderium Patrum antiquorum, salve te amantium amor amicorum: Salve candidissime panis Angelorum, salve sapor optime in corde devotorum. Tu es quem veraciter desiderat cor meum, te credo tenaciter hominem & DEUM. In mea conscientia quidquid latet obscurum, tua de præsentia clarum fiat & purum. Nil apud me remaneat, quô mihi sis offensus, sed totus in me transeat amoris tui sensus. Cor meum sensibiliter divinitus accende, te jam misericorditer præsentem hic ostende. Per cordis mei nebulam tuos da fulgores, omnem fuga maculam, ejice langvores, Amen.

Anima Christi sanctifica me,
 Corpus Christi salva me,
 Sangvis Christi inebria me,
 Aqua lateris Christi lava me,
 Passio Christi conforta me,
 O bone JESU exaudi me,
 Intra vulnera tua absconde me;
 & ne

Et ne permittas me separari à te,
 Ab hoste maligno detende me,
 In hora mortis mæcæ voca me,
 Et jube me venire ad te,
 Ut cum sanctis tuis laudem te,
 In sæcula sæculorum, Amen..

Ante Vesperas Canonicas.

O Jesu mi dulcissime, saluto te millies & millies, ex totis visceribus meis. Gaudeo de tua hinc personali præsentia. imensas tibi gratias ago, quod de cœlo descendens dignatus sis, nos tam gratiōsē visitare; cùm ergo in hoc Altari fungaris Officiō tuō sacerdotali, rogo te, memento mei apud Patrem. Sis meus sacerdos & sacrificium, meus mediator & advocatus, mea justificatio & satisfactio. Unicō verbulō, unicō suspiriō, unicō affectu recommenda me Patri, & salvus ero. Offer temetipsum pro me, & statim propter te in gratiam recipiet me. Monstra ei tua pro me suscepta vulnera, & protinus mihi remittet mea scelera. Exhibe illi sacrum sanguinem, quem pro me effudisti, repræsentata illa passionem tuam, quam pro me sustinuisti,

isti, offer te totum pro me, ut me recipiat per te. Dignare quoque in hoc & omnibus Altaribus ei pro me omnem filialem affectum, amorem, honorem, & beneplacitum exhibere, ut sic defensus mei, quos in ejus servitio commisi, abunde suppleantur.

Pater amantissime, offero tibi hunc dilectissimum filium tuum in perpetuum laudis tuæ holocaustum, in condignam gratiarum actionem, ad impenetrandam gratiam, ac denique in propitiationis peccatorum meorum juge sacrificium. Respice in faciem Christi tui, & miserere mei. Per ipsum, & cum ipso, & in ipso sit tibi omnis honor & gloria.

A M E N.

Ante cubitum.

O JESU dulcissime, tu es verus DEUS & homo, te saluto tenerimè, te adoro devotissimè, in te credo firmissimè, in te spero securissimè, te amo ardentissimè, rogo te, hoc amoris Sacramentō amplius accende me, ut post hac omnia terrena desideria relinquam, & te solum super omnia diligam.

Inve-

Invenio hic quem diligit anima mea,
 JESUS & ego soli sumus. O JESU, quis
 es tu? & quis sum ego? tu omnia, &
 ego nihil, tu amor, & ego amans, tu
 desiderium, & ego desiderans, tu pa-
 stor bonus, & ego ovistua, tu Advoca-
 tus, & ego cliens; O JESU, rogo te per
 illam misericordiam tuam, quâ apud
 Patrem Advocatus meus fieri voluisti,
 reconcilia me Patri, ut mibi parcat pro-
 pter te, supple ex tuo, quod deest ex
 meo, da quod non mereor, ut præ-
 stem, quod teneor..


JESUS Pater, & ego filius; amantissi-
 me Pater; esto mihi Pater, & transfor-
 ma me verè in filium tuum, fac ut im-
 posterum te semper filiali affectu dili-
 gam, tuis mandatis obediam, & sic ad
 promissam hæreditatem perveniam.
 Refice hōc epulō & pharmacō animam
 meam, quando emigratura est de cor-
 pore suo, ut tecum in æternum vivat.

JESUS est Sponsus, & anima mea
 sponsa; O JESU, quæ tua erga me di-
 gnatio, ut animam meam tibi in spon-
 sam eligeres, & tuo corpore cibares? in

hoc Sacramento deputas cor meum in
thalamum tuum , admittis me ad sua-
vissimos amplexus tuos, oscularis me
osculō oris tui: Nempe, quia amas me
communicas te mihi ; & ego quia amo
te , reddo me tibi. Jam non ego, sed tu
vivas in me , moriar amore tui , moriar
mihi , ut vivam tibi. Te totis præcor-
diorum amplexibus stringo , in te solo
requiescam , & in æternum non ampli-
us te dimittam..

O JESU , tu es Redemptor meus,
salva animam meam , O JESU , tu es
Rex meus , miserere inopiam & tribula-
tionis meæ , O JESU , tu es Magister
meus , doce me facere voluntatem tu-
am , O JESU , tu es lux mea , illumina
me ; amor meus , accende me ; refugi-
um meum suscipe me : dulcedo mea,
inebria me : omne bonum meum , ad-
imple me benedictione tua, sentiat quæ-
so , anima mea virtutem præsentiae tuæ,
ut tuo spiritu animatus tibi vi-
yam dormiam , & re-
quiescam..
Amen..

DIES



DIES PRIMA.

Sanctissimæ Trinitati Consecranda.

Oratio jaculatoria hodie identidem
repetenda: *Domine, tibi,
& te um.*

MEDITATIO PRIMA.

De ultimo fine hominis.

Punctum I. *Ego sum Alpha, & Omega,*
Principium, & Finis. Apoc. I. v. 8.
 Sic est. DEUS est principium, è quo ema-
 namus; medium, quò ducimur; finis, in
 quem dirigimur. S. Dionysiusl. de divin.
 Nominibus. Et hoc unum est summè
 ac unicè necessarium. Fecit te DEUS
 ad se, & propter se, ut hunc finem
 tuum intelligas, intelligendo ames,
 amando in illum tendas, tendendo af-
 sequaris, eoque in æternum perfruaris:
 Fecit te DEUS ad imaginem & simili-
 tudinem suam, ut suæ Deitatis, infini-
 tatis, æternitatis quodammodo capax
 es, & ex alto vanitatem hujus mun-
 di contempnes. Fecit te immortalem,

ne tui finis oblitus, perituris adhæresceres. Fecit te meliori tua parte spiritualem, ne in hujus mundi bonis tibi finem temporalem præfigeres. Fecit te creaturam nobilissimam, ne tenderes in res hujus sæculi visibiles, te toto genere viliores. Te ipsum per diem sæpius conveni: Properone hac mea præsenti actione ad præfixum finem meum? omne id, quod à fine abducit, abrumpe; & quod ad finem non conductit, intermitte. O DEUS! O finis sine fine! tu es finis memoriarum mearum, ut memor sim tui: tu es finis intellectus mei, ut te intelligam; tu es finis voluntatis mearum, ut te diligam, &c.

Punct. 2. *In gloriam meam creavi eum, formavi eum, & feci eum.* Isai. 43. 7. Idcirco, subintrat Origenes l. 7. div. Instit. c. 6. Mundus factus est ut nascamur, ideo nascimur, ut agnoscamus factorem mundi, ac nostri DEUM, ideo agnoscimus, ut colamus, ideo colimus, ut immortalitatem premercede capiamus. Non erat necesse, te in rerum natura esse; quia tamen es, necessariò & DEO, & DEI, & propter

D E-

DEUM es. Cujus ergo necessariô es, illius & voluntariè sis. Qui in creaturis finem quærit, bis infelix est; tum quia finem non invenit. Vult uti fruendis, & frui utendis; fine, qui solus DEUS est, fruendum est, cæteris ut mediis, quæ ad finem ducunt, utendum. Temporalia non aliter usurpanda sunt, quam baculus, quo itur ad patriam; qui hunc ordinem invertit, is omnia alia agit, exceptô illô, propter quod hic deberet vitam agere. Si omnia tua studia in res caducas convertas, & supremum tuum finem negligas, non agis hominem, nec dignuses, ut homo voceris. Ibi otiaris, ubi pro DEO & anima non negotiaris. Honor DEI, & salus animæ est summum, unicum, & omne negotium tuum. Ut quid terrena moror? Notum fac mihi, Domine, finem meum, Psal. 38. 5. Illuc, illuc tendat anima mea, ubi est DEUS meus & omnia, &c.

Punct. 3. *Converte anima mea in requietum tuum.* Psal. 114. 7. *Locus naturalis animæ inquit devotissimus Blosius Instit.*

spirit. c. 5. DEUS est, in quo solo quiescere potest. DEUS est finis noster, & non est quies, nisi solum in hoc fine. Fecisti nos Domine ad te, exlamat S. Augustinus. 1. Confess. c. 1. & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. Omnis copia, quæ DEUS non est, animæ DEI imagine insignitæ, necessariò inopia est, potest creaturis occupari, sed non nisi Creatore satiari. Sicut ossa humana, si in loco sibi à DEO præfixo manent, dolorem non incutiunt; secus verò si extra illum violenter moveantur: Ita anima in solo DEO, velut in suo centro, securè quiescit, extra illum autem irrequies motibus agitatur. Creavit DEUS hominem, quando jam aura avibus, terra animalibus, & maria piscibus occupata erant, & nihil ad dandum supererat præter DEUM, ut Creator doceret, se solum esse locum, hæreditatem, & possessionem hominis. O DEUS tu es finis desideriorum meorum, cupio dissolvi, & esse tecum, trahe me ad te, ut perveniam, & requiescam in te. Ibi, ubi: ibi sit cor meum fixum, ubi tu verum es gaudium &c. LE-

LECTIO MATUTINA.

De bona intentione.

I. Docent Theologi (D. Thom. 1. 2.
q. 114. a. 4. S. Bonaventura in 2. Dist.
41. q. 3. Scotus eādem Dist. q. unic. a-
pud Patritium Sporer Tr. 2. in 1. præc.
Decal. c. 5. Sect. 1.) Nullam omnino
actionem humanam , licet alias morali-
ter bonam , atque ab homine in divina
gratia constituto exercitam , esse gratiæ
& gloriæ meritoriam , nisi bona intenti-
one in DEUM relatam. Nimirum Deus
respicit principaliter non ad actionem ,
sed ad intentionem , non ad facultatem ,
sed ad voluntatem , non ad effectum sed
ad affectum ; ita ut juxta mensuram in-
tentionis crescat & meritum actionis.
Bonum opus , consonat D. Augustinus in
Psal. 31. *intentio facit* : Eaque duplex ,
actualis , & virtualis : Actualem habes ,
si ex actuali DEI amore actionem tuam
in DEUM referas , eumque illâ laudare
& oblectare cupias , v. g. suspirando :
Domine tibi ; *ad tuam gloriam* : *ad tuum be- neplacitum*. Virtualem habes quando vi
præcedens , & nondum revocatae in-

tentionis opereris; ita, ut intentio antegressa verè causet, & influat (licet tenuiter) in actionem subsequentem. Cujus signum est, si te reflectens: cur labores, ores, studeas? statim priorem intentionem repetens, responderes: propter DEUM, ad Dei honorem, ad Dei beneplacitum.

2. Omnis ergo actus hominis non tantum de se virtuosus & bonus, sed etiam indifferens, ut comedere, bibere &c. ita actu vel virtute in DEUM à charitate relatus, est & gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro meritorius. E contrà actus quantumvis bonus in genere moris cùjuscunque virtutis, misericordiæ, humilitatis &c. qui non est imperatus à charitate, neque ita actu vel virtute in DEUM ultimum finem relatus, prorsus vanus, & inutilis est ad meritum. Quapropter, coincidit noster Didacus Scella in c. II. Lucæ, *non tantum debes oculos conjicere in id, quod facis, sed etiam in id, quod intendis, nam vilia, & minima opera, dum divino spiritu fiunt, & intentione recta, maximi sunt valoris, & è contrà maxima & heroica opera, si debita intentione, & recto fine*

fine careant, nullius sunt valoris & ponderis.
 Hinc in Revelationibus S. Brigittæ legimus, lib. 2. c. 14. etiam illud tempus, quod corporis necessitati impeditur, si id rationabiliter fiat, inter spiritualia reputari. Sanctam Gertrudem (Blofius inst. spir. c. 9.) Cœlestis sponsus monuit: Ut omnia sua opera minutatim offerret usque ad Characteres, quos lectura, & scripture, & bolos, quos sumptura, & anhelitus, quos vigilans vel dormiens ductura esset. Cogita proin, Religiosè, quot bona opera in vanum peragas, quot mortificationes in cassum perferas, quot labores, sudores, & angores frustra lustineas, ac quot meritorum thesauros perdas, nî actiones tuas in DEUM referas. Ut quid perditio hæc? potes mediante intentione, unica cogitatione, unicō verbō, unico vel minimo opere augmentum divinæ gratiae lucrari, cuius vel unicus gradus omnes mundi divitias antecellit, & tot immensa æternitatis lucra negliges? Asvesce, asvesce igitur tuas intentiones sœpius formare, & renovare, ne cum

quam de uno opere ad aliud transfilias,
qui illud prius in DEUM referas.

3. Porrò quantò finis intentus est
sublimior, tantò intentio est perfectior,
& operatio Deo gratior; hinc cùm De-
us ter optimus omne bonum infinitè
excedat, ille quoque ut supremus noster
finis in omnibus & super omnia erit in-
tendendus. Quocunque opus etiam
minus bonum aut indifferens pure fa-
ctum propter DEUM, est perfectius o-
mni alio opere licet alias sublimi, non
tamen defactò propter DEUM, sed ali-
um finem, quamvis in se etiam bonum
facto. Sic comedere, dormire, & alia
corporis necessaria propter & secun-
dum DEUM sumere, nempe sicut vulc-
Deus, longè est Deo gratius, quam mi-
ris austерitatibus, & orationibus vacare
non propter DEUM sed nostrum com-
modum consequendum. Et planè zelo-
sus amor hoc à nobis requirit, ut DEUM
pro fine unico omnium cogitationum,
verborum, & actionum nobis propona-
mus, ejusque majorem gloriam unicè
quæramus, absque eo, ut in nos aliquod
bo-

bōnum redundet. Debetur Dēo hæc puritas intentionis ex justitia: primō, quia ejus excellentia dignissima est, ut omnia ad ipsam referantur. Secundō, quia concurrit ad omnes actiones nostras, unde justissimum est, ut per bonam intentionem ipsi omnia restituantur. Tertiō, quia ipse est supremus Dominus noster, adeoque nos servi ejus non possumus absque injustitia ad alium finem collimare, quam ut ipsi soli simpliciter serviamus, cūmque magnō zelō sine admixtione alicujus creaturæ queramus.

4. In canticis habes 1. 4. *Recti diligunt te.* Qui sunt hi recti? illi, respondet hic Hugo Cardinalis, qui in suis operibus habent D E U M principium, & finem. Pura intentio servit D E O, quia servit, laudat D E U M, quia laudat, amat, quia amat, non spe prœmii, non formidine poenæ, sed solum D E U M oblectandi desiderio. Pura intentio servit D E O, non solum, ideo, ut id D E O placeat, sed etiam quia sic servienti placet D E U S, hominem scipio spoliat, solum D e i gloriam

riam spectat, & suæ utilitatis oblita, o-
mnia facit, solum ut DEI voluntati sa-
tisfaciat. Pura intentio beatis in cœlo si-
milis est, qui vellent multò libentiùs
propria felicitate privari, quàm D E I
voluntatem in aliquo retardari. Pura
intentio nullum habet affectum ad ali-
quam etiam spiritualem remuneratio-
nem. Nec tamen propterea sine prœ-
mio diligitur, qui sine prœmii intuitu
est diligendus. Quin imo, attestante S.
Chrysost. homil. 5. in Epist. ad Rom.
DEUS tantò plūs dat, quantò minùs
concupiscitur: *Ne putemus inquit, nos
præmiō carituros, si pro præmio non labore-
mus, imo ob hoc ipsum præmium erit majus.*
Unde Christus B. Gertrudil. 4. c. 16.
dicebat: quod illa opera, quæ ita purè
ad laudem D E I in unione passionis
Christi, & ad salutem universitatis fi-
unt, quod omnino abrenunciat quis
omni merito, ut saltē possit D F O
laudem offerre, describantur in libro
vitæ aureo colore. Et licet alia opera co-
piosam apud DEUM obtineant remu-
nerationem; illa tamen quæ purè fiunt

pro amore laudis DEI, multò majoris sunt meriti ac dignitatis, & insuper conferunt homini in infinitum majus augmentum salutis æternæ. Hæc Christus suæ Sponsæ, & meritò; non enim est à DEO majus, ac dulcius præmium, quam DEUS, & amor ejus.

Verum enim verò hæc non eò dixerim, quasi nihil à DEO debeamus postulare; est námque minimè inconveniens à DEO pro minimis maxima petere: Tum quia ille omnia nobis donando, nec minus habet, nec habere potest: Tum quia DEO honorificum, nobis bona, bene potentibus, & maxima, & plurima dare: Tum maxime, quia dona DEI petere possumus, non quatenus nobis bona, sed quatenus, his in nobis visis, DEI voluntas completur, & oblectatur; sicque ipsa beatitudo est à nobis desideranda, non quia cedit in nostrum bonum, sed quia eam DEUS immensò nobis desideriò exspectat. Excelluit in hoc S. Magdalena de Pazzis, cuius heroica verba sunt: Vit. C. 73. *Si crederem⁹ me unō solō verbō disto ob*

alium finem, quam ob amorem DEI, etiam si non esset ejus Offensa, posse evadere Seraphinam, nunquam illud dicerem.

6. Seraphinum nominavi, & extensas Seraphinorum alas cogitavi. Alae in Seraphicis illis spiritibus secundum divum Dionysium coelest. Hier. c. 4. & 13. perfectissimam intentionem notant. Sunt illis (Isaiæ 6. 2. Sex alæ, ad quid autem tot? respondet noster Adrianus Vanderdonch in Seraph. Chor. c. 4. Hoc est, multitudo perfectissimarum intentionum, ex quibus divinum Altissimo Trisagium acclamabant. Sanè juxta Theologos actus humanus sumit suam specificam beatitudinem à fine, propter quem fit; Unde si jeunes, ut DEO pro acceptis beneficiis gratias agas, magis gratias agere, quam jejunare dicendus es, propter quod enim unum quodque tale, ipsum magis est tale. Et universaliter quolibet opere omnes virtutes formaliter attingis, quarum motivo per intentionem in eas tendis. Sic semel & simul in una actione etiam indifferenti (mala semper excipitur) potes plurimos virtutum actus

actus exercere. v. g. si opereris ea intentione, ut Deum unum in tribus personis proicearis, exerces actum fidei: Si opereris ea intentione, ut consequaris summum bonum, exerces actum spei: Si opereris ea intentione, ut Deo congratuleris infinitam suæ divinitatis gloriam, exerces actum amoris DEI: Si opereris ea intentione, ut tibi condonentur delicta tua, exerces actum poenitentiæ. Verbo: tot virtutum actus etiam in una actione producis, quot motivis ad eandem induceris. Et inde est, quod sint, qui hinc similes ejusdem Ordinis austерitates subeunt, nec tamen ibi parem remunerationem reportabunt; quia alii intentionibus iterantis operam dederunt, alii neglexerunt.

7. Poteris insuper tuam intentionem, non solum extendere ad quemlibet fructū, per quodlibet opus aquisibilem; sed etiam tuas functiones obire ea intentione, quæ Deo maximè placet, & quam ipse habet, dum ad tuam actionem concurrit, quæ utique erit perfectissima, aut quam Christus, ejusque

tag-

sanc*tissima Mater, omnesque sancti es-*
sent habituri, si praesens opus forent
peracturi. Et sic, ut membrum Christi,
offer per eum tua opera DEO, ut illi
eò sint gratiora, quò fuerint à chariore
manu praesentata.

8. Ulterius solent devotæ animæ
 opera sua DEO offerre in unione ope-
 rum, passionis & meritorum Christi,
 omniumque sanctorum ejus. Quanti
 momenti ac meriti hæc unio sit, dici
 nequit; nostra enim opera cum ope-
 ribus Christi unita, & ita DEO Patri
 oblata, fiunt quodammodo Deificata;
 Quemadmodum enim gutta aquæ do-
 lii præstantis vini intusa tota in vinum
 mutatur, ita quoque, si opera nostra
 cum operibus Christi conjunguntur,
 maximi valoris, ac pretii redundunt.
 Quotiescunque (ex vit. & doctrina B.
 Magdalena de Pazis. c. 44.) *Creatura of-*
fert suu cum operibus bunc sanguinem quò eß
redempta, DEO Patri tale donum offert, ut
quasi non habeat DEUS premium, quò illud
salvat. Unde subjungebat eum, qui sic
saceret, iturum recta ad cœlum sine
Purgatorio post mortem. 9. Pro

9. Pro coronide subjicio bonæ intentionis formulam identidem renovandam, non quidem totam semper singulatim in memoriam revocando, quod nimis morosum ac difficile foret, sed multiplicem illam intentionem initiō latè formatam, per momentaneam mentis reflexionem confirmando & ratificando.

10. Sanctissima Trinitas unus Deus, ego in conspectu tuo indignissimus volo omnia cogitare, dicere, facere, pati, &c. ex omnium virtutum motivo, intentionibus purissimis, perfectissimis, tibique gratissimis, quas ipse tuo influxu & concursu habes, atque adinvenire, & optare potes. Omnes & singulas animæ & corporis mei motiones, cogitationes, volitiones, respirationes, verba, & opera in virtute Spiritus Sancti per dilectum filium tuum tibi offero, ut tibi supremo Domino meo omnem possibilem honorem, laudem, gloriam, & beneplacitum, præstem omne bonum, gratuler, ac pro universis beneficiis gratias agam: In laudem quoque & memori-

moriām humanitatis Domini nostri Iesu Christi, in commemorationem vitæ, passionis, mortis, omniūmque mysteriorum ejus; nec non in venerationem, cultum & augmentum beatitudinis B. Mariæ Virginis, sanctorum meorum Patronorum, Angelorum, atque omnium Sanctorum: pro impetranda mihi gratia proficiendi in virtutibus, pro satisfactione meorum peccatorum, pro omnibus fidelibus defunctis, ac denique pro omni eo, quod tu scis & vis, me maximè à te debere postulare. Declaro insuper me omnia à te petere, non quatenus mihi bona, sed quatenus tibi sunt grata; hinc contentissimus ero, licet nihil impetravero. Hoc est mihi præmii satis, quod tu sis, qui es. Et quoniam vitæ meæ distractiones, me non sinunt huic semel expressæ intentioni semper actualiter inhærere; idcirco quoties respiravero, toties hanc meam voluntatem ratam, & renovatam volo. Omnia sint unita vitæ, ac passioni Iesu Christi, ac meritis omnium sanctorum. Domine ante te desiderium meum; si hac intenti-

tentione tibi gratiorem scirem, utique elicerem.

EXAMEN.

Circa intentiones actionibus nostris præponi solitas.

Vera sunt verba magni Gregorii l. 28. Moral. c. 6. ita differentis: *Cum perversa intentione vel rectum quid agitur, et si splendere coram hominibus cernitur, apud examen tamen interni Judicis obscuratur. Quare? quia mala intentione vitiatur. Mi Religiose, & tua quoque opera ad examen penitus perspecta, exteriùs quidem splendent, sed interiùs medullâ bonæ intentionis carent. Interroga te ipsum & videbis tuas functiones obiter tantum peractas, aut prævia intentione esse destitutas, aut malis vitiatas. Vitam perdis, & nulla merita acquiris, quia bonas intentiones intermittis. Dic: an vel semel sine admixtione tui unicè, purè, sincerè, & simpliciter solius DEI majorem gloriam quæsiveris? pro dolor! ubique se proprius amor ingessit. Estne charitas DEI absoluta domina tuarum potentiarum? rarissimè.*

AR

An non se tuis actionibus hypocrisis,
 aut vana gloria intermiscerit? Sæpiissimè.
 An non ab una actione ad aliam transi-
 lis, absque eo, quod novam intentio-
 nem formes? frequentissimè. Pœnitentia
 metui, eò quòd tot laborum mercedem
 perdas. De manè surgis, quia debes;
 frequentas chorūm, quia pœnitentiam
 times: Ultcunque compositos præfers
 mores, ex respectu humano: Has il-
 lásque devotiones peragis, invenitur
 in eis propria voluntas. Ubiq[ue] est aut
 arida consuetudo, aut proprium interes-
 se, aut spes promotionis, aut aliis finis
 inanis, aut vanus. Disquire singula, &
 invenies, quòd tua intentio plerumque
 vanitatibus infecta sit. Emenda menda,
 rejice vana motiva, instrue tuam in-
 tentionem juxta lecta, & commendā
 DEI filio tua opera emendanda; hoc
 modo & medio ea mirificè sublimabis.
 Omnia opera tua, dicebat quondam
 Christus S. Gertrudi l.4. c. 31. mihi per-
 fectissimè placent. Quod cùm illa mira-
 retur, ait: sicut tu tenens rem aliquam
 in manu tua, quam facillimè posses, &
 bene

bene scires sic emendare , ut omnibus
placeret , si bonam ad hoc voluntatem
haberes , nequaquam negligeres : sic
ego ex eo , quod habes de more opera
tua mihi commendare , ea quasi in ma-
nu mea teneo , & cum optimè valeam ,
& sciam , certè ex benignitate mea dele-
ctor , omnia opera tua sic emendare , ut
mihi possint perfectissimè complacere .

MEDITATIO SECUNDA.

De servitio DEI.

Punct. 1. *Negotium vestrum agatis. ad Thessal.* 2. 17. Negotium nostrum sum-
mum & unicum in hoc consistit , ut
DEO serviamus , & animas nostras sal-
vemus. *Creatus est homo , inquit S. Ignatius* in medit. quam appellat fundmen-
tum , *ad hunc finem , ut Dominum DEUM*
suum laudet ac revereatur , eique serviens
tandem salvus fiat. Magna dignitas Reli-
giosi , cui datum est , spretò mundō ,
DEO servire. Terrenorum Principum
famuli , quò majori Domino serviunt ,
eo quoque se maiores existimant ; imò
non tam servire , quām sibi serviri vi-
dentur. Potiori jure servire D E O re-
gnare

gnare est; divinæ enim majestatis excellentia talis, tanta, ac tam infinita est, ut eâ major excogitari non possit. Hæc cognita non potest non esse omni servitio, cultu ac veneratione dignissima. Magnus DEI servus Pater noster Seraphicus de hac servitute ita differit. (Wadingus in opusc. S. Francisci Tom. 3. collat. 13.) Heu, quam bonum est fratres, DEO servire! Melior est DEI servitus, quam mundi Principatus. Sed quis est, qui certò cognoscit, se esse servum DEI? nihil melius est, quam esse servum DEI, nihil tamen difficultius est homini certò cognoscere, quam si est DEI fruus vel amicus. Ego vobis confiteor, quod rogavi Dominum, ut mihi dignaretur ostendere, quando sum servus DEI; & quando non: Ipse autem Dominus benignissimus sua dignatione respondit mihi: Servum meum veraciter te esse cognosce, cum sancta cogitas, loqueris, operaris. Ideo vobis prædicta insinuavi, ut vos etiam sciatis, quando DEI servi estis, & ei placetis: & ut ego coram vobis possim verecundari, quando videbitis me deficere in his omnibus, vel in aliquo predictorum. Hæc Franciscus de

se, & quid tu de te? O bone JESU,
omnia à te habeo, omnia tibi debeo, &
tamen tam raro & tepide tibi servio &c.

Punct. 2. Religiosus per vocationem
specialiter à DEO conductus, & per sua
vota singulariter ejus servitio mancipa-
tus, bene cum Propheta exclamat: Ps.
115. v. 16. O Domine, quia ego servus tu-
us, ego servus tuus, & filius ancilla tua. Ego
servus tuus, quia creasti, & redemisti
me, an non sat caro emitur servitus
mea? Pater, ut servum redimeret, Fili-
um tradidit. Ego servus tuus, quia tu
Dominus meus & Deus meus, tu con-
duxisti me, ut in hoc sacratissimo Ordi-
ne servirem tibi. Ego servus tuus, quia tu
servis mihi, servit mihi tua omnipo-
tentia, & conservat me tua sapientia,
& gubernat me tua charitas, & amat
me: Servit mihi Deus in Angelis, ut cu-
stodiat, in cibis, ut me satiet, in igne,
ut me calefaciat, in omnibus, ut ei soli
serviam. An parum est, DEUM habere
servum? qui tibi vitae necessaria præbet,
servis illi, ecce tibi omnia præstat Deus,
& ei servire pigeat? perscrutare, quō
spi-

spiritus servore ei servias, te ipsum, id
que saepius conveni: Cui hanc oratio-
nem, hunc laborem, hoc opus conse-
cro? nunquid DEO? si DEO, cur tan-
tepidè, & langvidè? nonne DEUS est
qui per Jeremiam fulminat: c. 48. v. 10
Maledictus, qui facit opus Domini fraudu-
lenter, id est: ut alii legunt, negligenter.
O ignis! qui semper ardes, & nunquam
extingveris, extingve meum temporem
accende fervorem.. &c.

Punct. 3. Praeclara sunt verba S. Ber-
nardii, ita discurrentis l. sent. de var-
obseq. *Sunt quatuor, quorum in hac vita*
obsequiis deservitur; caro, mundus, diabo-
lus, & DEUS; habent & singuli Principes i-
donativa sua propria: caro suis tyronibus
elargitur momentaneam voluptatem, mun-
dus transitoriam sublimitatem, diabolus per-
petuam captivitatem, DEUS interminabi-
lem felicitatem. Cogita, cuius stipendiis
hactenus promeritus sis, & resolve, cui
imposturum laborem, & sudorem tu-
um impendere velis. Ut DEO servias
allicit te illius suprema maiestas, boni-
tas, dignitas, an negliges? invitat tē
virtutē

virtutis pulchritudo, honestas, utilitas,
 an contemnes? cogit te præsentis vitæ
 brevitas, futuræ æternitas, cœli prœ-
 mium, inferni tormentum, an relucta-
 beris? provocat te cuiuslibet boni ope-
 ris dignitas, quæ tanta est, ut in com-
 paratione illius millones annorum ad
 obtinendum universum mundum im-
 pensi nihil sint, an perdes? serviendo
 DEO, tuam propriam salutem procu-
 rando, tibi ipsi servies, an tempus me-
 riti spontè amittes? scio, velles Domino
 DEO tuo servire, modò tibi nihil con-
 staret; sed cogita, quid pro te fecerit, ac
 passus fuerit Dominus. Non solum
 orando, jejunando, &c. sed etiam o-
 mnibus nostris actionibus DEO servire
 possumus, famulamur ei, si facimus,
 quod ratione statūs nostri fieri vult à
 nobis. Quantum DEO serviendi com-
 modum & motivum posse illi omnibus
 actionibus nostris deservire! O beni-
 gnissimum Dominum, quitam levibus
 obsequiis acquiescit! Domine, omnia,
 quæ intra me sunt, serviant tibi cor a-
 mando, lingua laudando, manus ope-

rando, corpus & anima tuam voluntatem faciendo. Serviam tibi semper ferventer, quia semper me conservas & teplidi non placent gustui tuo: Serviam tibi hilariter, quia hilarem datore diligis. Serviam tibi ex totis viribus meis, quia eas omnes dedisti mihi: Serviam tibi sine intuitu mercedis, quia creasti me, cum mei non indigeres, merces mihi maxima est, tibi Domino Deum minorum deservuisse & placuisse, &c.

LECTIO VESPERTINA.

De tribus animæ potentiis reformatiis.

I. In solemini illa hominis procreatione dicebat una divina persona ad adam: Genes. c. I. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Preiosa imago! pulchra similitudo! sicut enim DEUS Pater, DEUS Filius, DEUS Spiritus Sanctus non tres Dii, secundus est DEUS, & tres personæ; ita anima memoria, anima intellectus, anima voluntas, non tres sunt animæ, secunda, habens tres facultates. Per membra;

riam, inquit S. Bernardus medit. c. 1. Patri similes sumus, per intelligentiam Filio, per voluntatem Spiritui Sancto, nihil est tam simile illi summa sapientia, quam mens rationalis, qua per memoriam, intellectum, & voluntatem in Trinitate ineffabili consistit. Iterum, iterumque nota, quæ sequuntur: Consistere autem in illa non potest, nisi ejus memineris eamque intelligas, ac diligas. Religiose; invenio memoriam tuam non in DEO, sed in rebus mundanis huc illucque commorantem, intellectum tuum de rebus vanis, ac frivolis discurrentem, & voluntatem tuam sæculi mendacia, ac vanitatem diligenter. Reforma hanc Triadem, & renova in ea similitudinem divinam.

2. Magna hac miseria est, conqueritur S. August. l. 14. de Trinit. c. 12. cum illo non esse hominem, sine quo esse non potest: in quo enim est, sine dubio sine illo non est, & tamen si ejus non meminuit, eumque non intelligit, & diligit, cum illo non est: Ut ergo cum Deo sis, memor Dei sis, idque triclini modo. Primus modus consistit in actuali fidei exercitio circa tria; nempe

circa DEI immensitatem , quâ cœlum & terram implet ; circa DEI scientiam infinitam , quâ omnia videt ac penetrat ; & circa Dei concursum ad omnes actiones nostras . Excelluit in hoc modo magnus ille Elias , cujus verba sunt 3. Reg. 17. *Vivit Dominus in cuius conspectu sto.* Secundum modum tradit Apostol^o 1. Cor. 3. v. 16. *Nescitis , quia templum DEI estis , & Spiritus DEI habitat in vobis ?* Est DEUS nobis intimior , quam anima . Excelluit in hoc modo S. Catharina Senensis (in vit.) quæ cellulam sibi secretam intra se ipsam construxit , in qua jugiter cum Deo morabatur . Tertium modum docet Richardus de S. Victore gra. char. c. 3. dicens : *Amor DEI rebus his pro speculū utilitur , & in omne quod cernit sui amatorius resultat sibi memoria.* Excelluit in hoc modo stigmatizatus noster Seraphim , de quo Bonaventura in vit. c. 9. Ut autem ex omnibus excitaretur ad amorem divinum , exultabat in cunctis operibus manuum Domini , & per jucunditatis specula in vivificam consurgebat rationem & causam . Contuebatur in pul-

pulchris pulcherrimum, & per impresa rebus vestigia prosequebatur ubique dilectum, de omnibus sibi scalam faciens, per quam conscenderet ad apprehendendum eum, qui est desiderabilis totus; inauditæ namque devotionis affectu fontalem illam bonitatem in creaturis singulis tanquam in rivulis degustabat. Hæc sanctè sanctus de sancto.

3. Et sanè divinæ præsentiae memoriā esse perfectam ad perfectionem viam, ipse DEUS Abrahamum docuit dicens: Genes. 17. 1. *Ambula coram me, & es tu perfectus.* Continua DEI recordatio est perfectionis origo, ejusque oblivio imperfectionis scaturigo. Ideo toties corde ambulas in foro, cùm corpore stes in choro, ideo toties irasceris, & seduceris, ideo tot bona omittis, & mala committis, quia præsentis DEI non recordaris. E contrario si tibi à consiliis est DEI præsentia, nihil dignum ages penitentia. Sanctus Bernardinus noster (Sedulius in vita) adhuc adolescens ob vitæ modestiam tantæ apud coævos autoritatis erat, ut si sortè illi inter se de-

rebus parum honestis sermones misce-
rent, illo viso, mox dicerent: Faceſſant
hi sermones; Ecce enim Bernardinus adest.
Rex Regum adest, cogita, quid te in
eius conſpectu oporteat facere.

4. Certè tam gratiſæ præſentiæ me-
moriā non oportet pertransire otio-
ſam. Semper magnis DEI ſerviſ breves
quædam jaculatoriæ preces fuere fami-
liares. Parenti noſtro per totam noctem
hæc ſola ſufficiebant verba: *DEUS meus
omnia.* Porrò ſicut ubique eſt DEUIS,
ſic ubique ad eum aspirandi copioſiſſi-
ma eſt materia; fontes autem, ē quibus
quàm plurimæ aspirations hauriri po-
ſunt, ſunt perfectiones, & attributa di-
vina, potentia, ſapiencia, bonitas, pul-
chritudo; item paſſio Salvatoris, conſi-
deratio cœleſtis patriæ, tœdium hujuſ
vitæ, deſiderium videndi DEUIM. Nec
nō zelus animarum, dolor de peccatis,
atque omnes virtutum actus, &c. Quid-
quid occurrit in creaturis in laudem re-
ducito Creatoris, admonente Doctore
Seraphico in ſtim. amoris c. 10. Si aliquos
videris ceteros judicantes, divinum judici-
um

um time: Si pœnas inferentes , divinam justitiam cogita , &c. & sic per singula discurrendo omnia potes , & debes reducere in laudem & magnificientiam Creatoris.

5. Intellectus quoque noster resormari , à falsis opinionibus purgari , & luce veritatis illuminari debet. Nam animalis homo non percipit ea , quæ sunt spiritus DEI ; stultitia enim est illi , & non potest intelligere. I. Cor. 2. 14. Intellectu & affectu potes te aut miserum , aut beatum facere : si eventus rerum , si quotidianas vicissitudines , si fortunæ modò ascensum , modò descensum , ut res extra te positas , & nihil ad te pertinentes aspexeris , beatus eris , miser vero , si proprio judicio , opinioni , & appetitui nimium adhæseris. Multa ideo sunt mala , quia in malam accipis partem : Non res , sed falsa te opinio lædit. Increpavit te superior , quid est ? nihil , nisi quod te increpaverit , de tuo autem addis , si propterea perturbaris. Honorem quis tibi denegavit ? tu irasceris , quia putas te contemni , at putare se contemni , est se infelicem reddere. Discurre sic per

omnes casus, & invenies te non posse
lædi, nisi à te ipso. Judicium proprium
si bene correxeris, fractus illabatur or-
bis, non commoveberis.

6. Noster Antonius Monelia in myst.
Theolog. Dion. c. i. (quem Cardinalis
Bona. c. 4. Via compend. ad DEUM , vi-
rum magnum inter mysticos, sed ferè
incognitum vocat) inter alia impedi-
menta spiritualis profectūs ponit etiam
curiositatem intellectus circa scientias,
hinc noster Seraphicus Pater Vit. c. ii.
quærentibus aliquando fratribus, u-
trum sibi placeret, quod litterati jam re-
cepti ad ordinem, intenderent studiū
sacræ scripturæ, respondit: Mihi qui-
dem placet; dum tamen exemplo Chri-
sti, qui magis orâsse legitur, quam le-
gisse orationis studium non omittant.
Et litteræ ejusdem ad S. Antonium
(Wading. in Opusc. S. Francisci) hu-
jus sunt tenoris: Charissimo meo fratri An-
tonio frater Franciscus in Christo salutem.
Placet mihi, quod sanctæ Theologiæ litteras
fratribus interpreteris, ita tamen (N.B.)
ut neque in te, neque in cæteris (quod vehe-
men-

menter cupio) extingvatur sanctæ orationis spiritus, juxta Regulam, quam profitemur. Vale. Sancti essemus, si ita virtutibus & conscientiæ, sicut vanitatibus & scientiæ studeremus.

7. Prō dolor! plus nos deleat lectio nova & curiosa, quām divina & fructuosa, vana elitur, & sacra negligit. Non jam solum in aulis Principum, sed etiam in conventibus Religiosorum novellæ, gazulæ, & fabulæ leguntur: Non sunt jam discursus de rebus cœlestibus, sed de campo & militibus. Et qui inde fructus? nulli, nisi zizania distractionum. Corpore stant in choro; & mente totum perlustrant orbem; jam urbes obsident, jam obsessas defendunt, jam configunt, jam hostes capiunt, & interim ipsi mente capti, spiritum devotionis extingvunt, cui tamen deberent cætera temporalia deservire. Audi Doctorem Seraphicum de Inst. Novit. I. p. c. 17. quā cote intellectum tuum acuere debeas: Non legas, inquit, que non edificant, quia vana lectio vanas generat cogitationes, & extinguit mentis devotionem.

*Lege sanctorum vitam & doctrinam, ut in
comparatione eorum semper humilieris, &
instruaris, & accendaris ad devotionem.*

8. Mi Religiose, dum vota nuncupasti, operationem tui intellectus DEO collocasti, ut quid ergo eō ad vanitatis abuteris? legere, scribere, & studere tuum nihil est, nisi legas, scribas, & studeas, ut DEUM honorifices, teipsum salves, & proximum adjuves. Linque vana vanis, mundana mundanis, & audi Magistrum, quem tibi Pater cœlestis de nube assignavit, dicens: Matth. 17. 5. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.* Ita te compone, quasi in mundo tu solus cum DEO solo esses, studium tuum sit: in oratione DEO loqui, & in lectione DEUM loquentem audire. Quando aliquando in ultimo examine liber scriptus proferetur, in quo totum continetur, unde mundus judicetur, tunc non exte quæretur: An bene dixeris, sed an bene vixeris? non interrogaberis, an sciveris decem Aristotelis prædicamenta, sed an observaveris decem DEI præcepta?

pta? non erit tunc quæstio de verbis & vocibus, sed de factis & moribus; hoc unum ergo unicè supplica : Domine, doc me facere voluntatem tuam, quia DEUS mens es tu, Psal. 142. 10.

9. Voluntas quoque nostra ut reformatur, DEO conformetur. Solius DEI est proprium, propriam habere voluntatem; unde si tuam facias, ad similitudinem DEI aspiras, eumque hac singulari sua excellentia quodammodo pri-vas. Est tamen modus, quod DEO quodammodo similis fieri, tuamque voluntatem sequi poteris: nempe si tuam voluntatem perfectè in divinam resignaveris, semper facies, quod vult DEUS, & quod tu ipse vis; quia DEI voluntatem implendo, & tuam necessariò adimplebis. Nec potest libera voluntas in nobis melior esse, aut aliquid melius agere, quam ut illi se commendet, ac committat, qui non potest errare, aut malè agere.

10. Totius sanctitatis & perfectionis summa in hoc videtur consistere, ut voluntas nostra divinæ sit subiecta. Inter

omnes preees, inquit Blosius in farrag in-
stic. quas Christus in hoc mundo fudit, illa
summa & excellentissima fuit: Pater, non
mea, sed tua voluntas fuit. Sequere JESUM,
abnega temetipsum: Dicit te DEUS
per prospera, & aspera ad finem tuum,
tu alacriter sequere, si repugnaveris, &
impius eris & sequeris tamen. Disce o-
mnia, quæ accidunt, divinæ voluntati
auscribere, & cuncta adversa generosò
silentio concoquere. Si verò propter
DEI beneplacitum te oporteat aliquid
recipere, quod sensualitat tuæ arridet,
non acceperes id, quatenus tibi gratum,
sed quatenus divinæ voluntati est ac-
ceptatum.

II. Bonus Religiosus petit omnia fie-
 ri, prout fiunt. Ad omnia aptus est: Si
 obedientia postulat, virtutem explicat
 in prælatione, sin minus in subjectione:
 Si poterit hic, sin minus alibi: Si poterit
 sanus, sin minus debilis, nihil proorsus
 eius voluntati contrarium evenit, quia
 eam penitus in divinam transtulit. Et
 hoc solo medio hic solida potest percipi
 latitia. Sancta Clara (Surius in vit. c.

12.) per annos octo & viginti gravissimis morbis exagitata, nunquam tamen vel minimum conqueri, sed semper DEUM laudare est audita. Cumque in extremo morbo per septemdecim dies ne bolum quidem gustare posset, Confessario ipsam consolari volenti dixit: *Ex quo cognovi gratiam Domini mei JESU Christi per servum suum Franciscum, nullus unquam mihi morbis durus, nulla pena molesta, & nulli pænitentia gravis visa est.* DEI beneplacitum erat summum Virginis gaudium; tu quoque in omni adversitate limpidissem perecipes voluptatem, si te perfectè resignaveris in divinam voluntatem.

EXAMEN.

An ab ultimis tuis exercitiis spiritualibus profeceris? an vero defeceris?

Gloriosus societatis JESU fundator Ignatius, Ribad. in vit. l. 5. c. 1. confrebat præsentem diem cum hesterno, profectum cum profectu, & sic se se semper ad majorem perfectionem excitatbat. Idem factitabant & alii, fac & tu si-

militer. Recognosce teipsum quis sis,
 & quis fueris? exige à teipso rationem,
 an à tuis ultimis exercitiis pro- vel de-
 feceris? conveni teipsum, an proposita
 tua servaveris, nec ne? perscrutare,
 quæ vitia extirpaveris, & quas virtutes
 implantaveris? inquire, quo fervore
 tuas meditationes, examina conscienc-
 tiæ, aliásve devotiones peregeris? an
 non interim in aliquod peccatum mor-
 tale incidisti, quod remis velisque fu-
 gere proposuisti? quæ media adhibes,
 ut in dies proficias? prò dolor! in mul-
 tis defecisti, novitus servor omnino in-
 tepuit. *Habeo adversum te, conqueritur*
Salvator, Apoc. 2. 4. quòd charitatem tu-
*am primam reliquisti; memor itaque es*to,
unde excideris: Et age pænitentiam, & pri-
ma opera fac. Propone ergo meliora, &
non amplius tam inconstans à tuo pro-
posito deflecte.

MÉDITATIO TERTIA.

De cura propriæ salutis.

Punct. I. *Quarite primum regnum DEI,*
& justitiam ejus, & hec omnia adiicientur vo-
bis. Matth. 6. 33. primum, summum,
maxi-

maximum, & unicum negotium tuum est, salvare animam tuam. Omne tempus perditur, quod saluti animæ non impenditur. Bella, studia, mercaturæ, & cætera omnia inutiles tricæ, nugæ, & crepundia sunt, si veniant in comparationem salutis propriæ; ubi animæ damnum est, ibi utique jam nullum lucrum est. *Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, anima vero sua detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Matth. 16. 26. *Quam dabit? an Crassi opes? an Croësi thesauros? an Midæ talenta?* Ah! Montes aurei, gemmarum acervi, diademata regia nihil sunt ad animæ pretium. Major animæ valor est. *Quid igitur pro ea datum?* Filius D E I dedit pro ea semetipsum, & pretium sanguinis sui. Audi Mellifluum Bernardum Med. c. 3. *Totus iste mundus ad unius animæ pretium astimari non potest;* non enim protomundo animam suam DEUS dare voluit, quam pro anima dedit. Pro anima incarnatus, natus, passus, & mortuus est. Si tanta Deus egit, & pertulit pro qua-

vis


vis anima, cogita ô Religiose, quid & te
oporteat facere pro anima tua unica,
immortali, ac tantô pretiô redempta,
O JESU! hoc unicum jam post hac erit
meum studium, ut tibi servem animam
meam. &c.

Punct. 2. Quid vagaris circa pluri-
ma? *Unum est necessarium.* Luc. 10. 42.
Animam habes unicam, quæ si semel
perierit, aliam substituere non poteris.
Dedit tibi DEUS duos oculos, duas au-
res, duas manus, duos pedes, animam
verò unicam, ut huic uni omnem im-
penderes curam. DEUS Pater te crea-
vit, ut illô fruatur anima tua: Filius
DEI in cruce mortuus est, ut redimat
animam tuam, tam copiosô pretiô re-
dempta est, ut anima tua DEUM vale-
re videatur: Spiritus Sanctus mittit,
& immittit tibi suas gratias, inspiratio-
nes divinas, cogitationes bonas, ut sa-
lutem animæ tuæ consequaris: Angeli
boni, omnésque aliæ propè creaturæ
conferunt tibi suam opem, ut salva fiat
anima tua. Ergo & tu quoque agonizans
pro anima tua, hæc primam curam de-
polcit,

poscit, primam habeat. Sed pro dolor! postrema cura de anima. Pudor est dicere (dicam tamen) tantam imposternum habere curam animæ, quantam huc usque corporis habuisti, & cogita, qualem habere velis &c.

Punct. 3. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* 2. Corinth. 6. 2. Summus negotiator commisit tibi salutis tuæ negotium, ut hoc perficias, dum vita manet, postea deluper rationem redditurus. Cautè ambula, non est sat magna securitas, ubi periclitari potest anima, noli eam incerto eventui committere, si semel damnata perierit, amplius ex inferno revocari non poterit. *Miserere anime tuæ placens DEO.* Eccl. 30. 34. Noli ita vivere, ut videaris habere animam, aut inimici, aut bestiæ, aut nullam. Moveris, & cum Legis-perito sciscitaris: *quid faciendo vitam eternam possidebo?* Luc. 10. 25. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata DEI, qui servat mandata Dei, servat animam suam. Per exactam præceptorum Dei observantiam, per accuratū Religiosæ perfectionis studi-

studium, per continuum heroicarum virtutum, ac bonorum operum, etiam supererogatoriorum exercitium &c. animam tuam quām longissimē à lapsu remove, aut fortè lapsam cito citius per pœnitentiam erige, ne pereat illa, quā perditā, nūl juvant omnia. Heu me! quām parūm huc usque pro salvanda anima mea laboravi! &c.



D I E S S E C U N D A.

CHRISTO JESU, DOMINO AG.

Salvatori nostro consecranda.

Oratio jaculatoria: O DEUS, propitius
esto mihi maximo peccatori!

M E D I T A T I O P R I M A.

De peccato mortali.

Punct. i. Formidabile est Mandatum, quondam populo Israëlitico datum: *Anima, quæ per superbiam aliquid commiserit, sive civis ille sit, sive peregrinus, quoniam adversus DEUM rebellis fuit, peribit de populo suo.* Num. 15. 30. Et meritò quidem; nam ex dignitate Majestatis offenditæ crescit crimen offenditiss:

dentis: Quantò illa augustior, tantò
hoc gravius. Levis est offensa obscuri
hominis, gravior viri præstantis, gra-
vissima Regis, ineffabilis ipsius DEI.
Porrò dum homuncio abjectissimus
DEUM offendis, ita tacita mente cum
eo contendis: Licet tu sis infinita Dei-
tas, ego vero nihil nisi mera vilitas: Li-
cet tu me creaveris, & innumeris bo-
nis ac donis decoraveris: Licet tu mihi
omne bonum promittas, & diabolus o-
mne malum minetur: Licet peccando
anima mea pereat, in contemptum ta-
men tui adhærens diabolo, te DEUM
repudio. Diabolus sit mihi Deus, ven-
ter sit mihi Deus, voluptas sit mihi De-
us, peccata sint mihi Dii. Oro te, qui
tot tibi abominabiles Deos fingis, an
nunquam legisti: Non erit in te DEUS re-
cens, neque adorabis DEUM alienum? Psal.
80. 10. Revertere, & dic cum Aposto-
lo Thoma. Joan. 20. 28. Dominus mens, &
DEUS meus. O quam doleo, quod te &c.

Punct. 2. Ipse autem vulneratus est pro-
pter iniquitates nostras, attritus est propter
fælera nostra. Isaix 53. 5. Qui immanita-
tem

tem peccati ignorat, cogitet passionem Christi. Sanè ex medicina gravitatem morbi, ex remedio quantitatem periculi, ex pretio enormitatem debiti, & ex poena atrocitatem culpæ intelliget. *Agnosce ô homo*, S. Bernardus loquitur. Ser. i. in Nativ. & Medit. c. 3. *Quām gravia sint tua vulnera, pro quibus secundūm diuinā sapientiā ordinem necesse est Christum Dominum vulnerari si non essent hæc ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio DEL filius moreretur.* Aspice montis Calvariæ spectaculum horrore planè plenissimum, illud tamen Christus gaudens amplexatur, tantūm ut peccatum demoliatur. Plūs abhorret tua flagitia, quām suæ passionis supplicia. *Quod olim Paulo, hoc modo tibi, Religiose, Christus ingeminat: Quid me persequeris?* Act. 9. 4. An quia ab æternō amavite? an quia cùm non essem creavi te? an quia ad hunc ordinem vocavi te? an verò quia tibi cœlum promitto? profectò stat pro ratione solum tua mala voluntas, debes cum Pilato fateri: *Ego non invenio in eo causam*, Joan. 19. 6.

illum persequendi. Ah! quotquot feci
scelera, tot feci DEO vulnera doloris,
non amoris: At nunc detestor scelera,
& opto mille vulnera doloris & amoris.

Punct. 3. Monet Ecclesiasticus 21. 1.
*Fili, peccasti? non adjicias iterum, sed & de
pristinis deprecare, ut tibi dimittantur.*
Quasi à facie colubri, fuge peccata; Non
enim solum in DEUM Creatorem, in
Christum Redemptorem, sed etiam de-
solvunt in hominem peccatorem. Pec-
catum est malorum omnium malum
longè pessimum. Malum est, separari
à supremo, infinito, ac divino bono,
peccatum separat. Malum est gratiâ,
amicitiâ, & familiaritate DEI priva-
ri, peccatum privat. Malum est, spo-
liari donis, fructibus, & inhabitatione
Spiritûs Sancti, peccatum spoliat. Ma-
lum est excludi à participatione merito-
rum vitæ, passionis, ac mortis Christi;
frustrari meritis bonorum operum, fru-
ctu virtutum, jure ad cœlum, peccatum
excludit, & frustrat Verbō; peccatum,
est malum, respectu cuius omne aliud
malum, bonum; est damnum, respe-
ctu

& tu cuius omne aliud damnum, lu-
crum; est paupertas, respectu cuius o-
mnis alia inopia, copia. Hæc tecum
cogita, atque exclama: O DELIS! si ca-
su impossibili in cœlesti gloria te frui pos-
sem, postquam te offendisse, aut, te
nondum offensô, omnium damnato-
rum poenas perferre: Tunc mallem pati
in tua gratia, quâm sinè ea omni per-
fundi lætitiam &c.

LECTIO MATUTINA.

De peccato mortali.

I. Regius Propheta malitiam peccati
exprimere volens, & non valens, in
hæc prorupit verba: *Delicta quis intelli-
git?* Psal. 18. 13. quasi diceret: Nemo
unquam mortalium mortalis peccati
gravitatem vel intellectu capere, vel lin-
gvâ exprimere, vel calamô describere
potuit. Peccatum enim mortale est præ-
varicatio legis divinæ, inobedientia cœ-
lestium mandatorum: summa offensa
DEI, crimen læsæ majestatis, contem-
ptus supremi Domini, adulterium ani-
mæ, infamis rebellio contra Regem æ-
ternæ gloriæ, aversio à Creatore, &

con-

conversio ad Creaturam. Peccatum mortale est naufragium gratiae, mors animae, salutis pernicies, carnificina conscientiae, lepra mentis, clades orbis universi. Peccatum mortale est sacrilegium, per quod homo se Deo Domino suo justissimo aufert, & transfert in diabolum: Est idololatria, in qua mortalis non duo grana thuris praesentat idolo, sed semetipsum offert Diabolo: Est iudicium iniquum, quod contra DEUM peccatum disvadentem, & pro diabolo ad illud incitante fertur sententia: Est turpitudo longe turpisima, respectu cuius omnis hujus mundi fœditas in unam cloacam conjecta pulchritudo videretur; unde beata Catharina de Genua (vit. cap. 24. dicere solebat: Si possibile foret hominem divina gratia destitutum, ac peccatis fœdatum vide re, tunc hujus intuitu quilibet mori deberet. Detestabilia sunt haec sed abominabiliora, quæ sequuntur..

2. Miratur (ut ita loquar) & seiscatur DEUS Malach. 38. Si affiget homo DEUM, quia vos configitu me? in Hebraeo habe-

habetur : Si violentabit homo DEUM , quia
 vos violentatis me? Pagninus legit: Si frau-
 dubit homo DEUM? Vatablus: Si spolia-
 bit homo DEUM suum? Syrus & Arabi-
 cus: Nunquid opprimet homo DEUM su-
 um? perdet homo DEUM suum? Quid est
 hoc DEUM suum affigere, configere,
 violentare, fraudare, spoliare, oppri-
 mere perdere? est nihil aliud, quam
 peccatum commitere. Signanter id mi-
 bi indicat S. Bernardus Ser. 3. de resur.
Voluntas propria, inquit, *in ipsum* (horri-
 bile dictu!) deservit authorem: Omnipotens enim
 vellet DEUM peccata sua, aut vindicare non
 posse, aut nolle, aut nescire; vult ergo eum
 non esse DEUM, que, quantum *in ipsa* est,
 vult eum aut impotentem, aut injustum,
 aut insipientem esse. Crudelis plane & omnino
 execranda malitia, quae DEI potentiam, ju-
 stitiam, & sapientiam perire desiderat; qui
 autem vult DEUM esse injustum, vult DE-
 UM non esse DEUM, & qui desiderat DE-
 UM non esse, quantum *in se* est, DEUM oc-
 cedit. Peccatum (quantum *in ipso* est)
 destruit DEI Dominium, quia recalcitra-
 trat, DEI immensitatem, quia vult ibi

UM non esse , ubi peccat , DEI æternitatem , quia si DEIIS mori posset , cuius vita æternitas , tunc mors ipsius futura esset peccatum lethiferum . O Homo ! tunc audes moliri interitum DEO tuo ?

3. Ais : Avertat DEUS , ego non pecco , ut DEUM destruam , sed ut lumentiæ meæ satisfaciam . Ita est , te nolle dicis intentione , & interim contrarium agis operatione . Dum peccas , vis tibi DEUM similem reddere , cíquet uis similem addere malitiam , ut peccatum tuum approbet : Negligentiam , ut peccatum tuum non curet : Impotentiam , ut peccatum tuum eum è suæ majestatis solio deturbare possit . Dum peccas , resistis æternæ DEI ordinationi , irrides divina judicia , spernis veritatis promissa , ludibrio habes justissimas minas , pedibus calcas summum bonum . Dum peccas , justitiam DEI non formidas , æquitatem irritas , bonitatem non amas , immensitatem non curas , divinitatem trucidás , & quod id non sequatur , non est ex defectu tuæ malitiæ , sed ex infinita perfectione divinæ essentiæ . Viden-

D

tur

tur tibi hæc hyperbolice dicta, non credis mihi, crede Theologæ, ex ea tibi tres testes adduco, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Primus sit Cajetanus, qui ita habet p. 1. q. 19. a. 9. *Malum culpe quantum ex se est privativum boni divini, si esset privabile; sicut amor amicitiae erga DEUM, est positivum boni divini, si esset ponibile.* Tertius sit Medina, ita differens de pœnit. Peccatum mortale talis est naturæ, ut, si possibili esset, destrueret ipsum Deum, eo quod causæ esset tristitia in DEO, & tristitia esset infinita ac proinde destrueret ipsum DEUM. Tertius sit Lessius, qui ait l. 6. n. 189. Peccatum mortale dignum est pœna aeternâ, ut potest offendens DEUM non qualitercumque, sed hostiliter ad dejiciendum DEUM à sua Dignitate. Durus est hic sermo, sed verus, & hinc

4. *Odio sunt DEO impius, & impietas ejus.* Sap. 14. 9. Peccatum enim contra DEUM commissum ex infinite divinitæ majestatis quamdam infinitatem habens, meretur odium suæ malitiæ proportionatum, ac proinde infinitum. Odit

dit Deus peccatum, quia sicut Deus suæ
essentiæ merus est amor: ita necessariò
est purum peccati, illi adversantis, odi-
um. Odit Deus peccatum, quia quò
quis majori bonitate est præditus, eò
vehementius odit malitiam; cùm ergo
Deus infinitam, sibique essentiale habet
bonitatem, infinitum quoque ha-
bit peccati odium. Odit Deus pecca-
tum; nam propter illud privat peccato-
res bono infinito, nempe seipsò, suique
in cœlo clara visione, punitque eos in
inferno pœnâ infinitè duraturâ. Nemo
in mare projicit vasa aurea (inquit no-
ster Doct. Seraph. l. de diæt. salutis c. i.)
propter vinum corruptum: Deus au-
tem propter peccatum vasa peccati, sci-
licet animas, ad suam imaginem factas,
pretioso suo sanguine redemptas, & alio-
quin sibi charissimas ex odio peccati
projicit in Oceanum internalem. Quin-
imò, refert Blosius ex Revel. Brigittæ in
Monil. c. i. si Mater Domini Virgo bea-
tissima peccâisset mortaliter, ac sine con-
tritione mortua esset, cœlum nunquam
obtinuisse, sed cum dæmonibus in in-
tero in æternum cruciaretur. D 2 s.

5. Tanta est peccati mortalis malignitas (sic me docet Lessius l. 6. n. 178. ut posita in lance divinæ justitiae præpondereret omnibus bonis operibus omnium sanctorum , etiam si millies plura & majora forent ; nam omnia bona opera , licet in se considerata , sint maximæ æstimationis sunt tamen instar nihil respectu DEI , cuius majestati sunt debita. At verò Creatorem contemni à sua creatura , quæ infinitum auctiorem & honorem (si posset) eidem præstare debet , hoc maximè æstimatur , tanquam maximè repugnans ejus beneficiis , ac majestati. Unde idem Lessius alibi l. 13. n. 187. addit : Quod peccatum pluris æstimetur à DEO , eumque plus affligeret , si capax doloris esset , quam omnia bona opera eum exhilararent. Ecce ! omnes Angeli , & Sancti omnibus suis bonis operibus , virtutibus , mortificationibus , orationibus non tantum laudis , honoris , complacentiæ & lætitiae afferunt divinæ majestati , quantum tu solus eidem tædii , doloris , tristitiae , & ignominiæ (si capax foret) tuis perditis

tis peccatis attulisti. Ulterius, ut ait
Apostolus ad Hebreos. 6. 6.

6. Peccatores sunt rursus crucifigentes
sibimetipsis Filium DEI. Rationem hu-
jus hic reddit Doctor Angelicus, quan-
do dicit: *Peccator, quantum in se est, dat
occasione, ut iterum Christus crucifigatur.*
Dum enim peccat, tale malum reiterat,
ad cuius satisfactionem Salvator noster
rursus crucifigi deberet, nisi mors ejus
tam efficax fuisset, ut ad omnia peccata
se extendisset. Et hinc toties (quantum
in te est) Christum rursus crucifigis,
quoties peccatum committis. Malitia
tua superat malitiam Judæorum, dicen-
te S. Augustino in Psal. 68. *Minus pec-
caverunt Judei crucifigentes in terra ambu-
lantem, quam qui contemnunt in Cælo se-
dentem.* Illi Regem gloriæ, si cognovis-
sent, nunquam crucifixissent: Tu Chri-
stum Filium DEI optimè noscis, & ta-
men ad eum crucifigendum peccatri-
cem manum extendis. In corde tuo,
peccatis commaculato, reperit Chri-
stus omnia suæ passionis instrumenta.
Quæso miserere DEI, imò audi me am-
plius, & miserere etiam tui. D 3 7.

7. A peccato, malo maximo, omne malum. Peccatum è Cœlo pulcherissimos Angelos deturbavit, eosque sempernisi flammis addixit: Peccatum primos nostros parentes è Paradiso ejecit, & cum illis nos omnes in has prælentes miseras traxit; peccatum delevit terram diluviō, subvertit Sodomam, & Gomorrham igne, ac Pharaonem cum suo exercitu demersit in profundum maris: Peccatum introduxit in orbem terrarum tot calamitates & vastitates, tot terrores & dolores, tot populorum tumultus & interitus, tot urbium incensiones & civium internaciones, verbo: Omnia bella, fulmina, grandines, sterilitates, luctus, febres, morbos, mortes, & omnis generis mala: peccatum in inferno damnatos gravissimis poenis, ac innumeris malis conficit; nec tamen vel unicum peccatum mortale per totam æternitatem illis horrendis cruciatibus sat punietur.

8. Summè DEO displicet peccatum in sæculari, & adhuc multò magis in Regulari. Anthonomasticè Religiosi sunt
do

domestici , amici , ac filii DEI : Jam argumentatur Seraphicus noster Bonaventura l. 2. de profect. Reli. c. 27. Sicut Pater magis dolet deformitatis maculam in filio , quam in alieno ; sic Deus peccata omnium odit , & tamen quodam modo ea durius punit in amicis suis singularibus , quam in aliis . Unde , cæteris paribus , graviora sunt peccata Religiosorum , quam mundanorum . Nam teste S. Antonino p. 2. tit. 3. c. 9. Quanto quis recipit majora beneficia , tanto faciens mala , magis ingratus est . Deus exspectat à Religioso obsequium , & fidelitatem proportionaliter ad eas gratias , quas ipsi comunicat , si huic expectationi non respondet , tanto est pejor , quanto Deus erga eum extat liberalior . Dum vota solemnia emisit , Deo promisit , se velle ad perfectionem tendere ; si interim flaccidam & peccaminosam vitam ducat , agit cum DEO , ac cum homine nullius considerationis , ad omnes injurias insensibili , ac se de illis ulciscendi impotente .

9. Irasceris mihi , quasi suspicer , te ut Religiosum , quandoque peccatis mortali-

būs innodatum fuisse, esse, aut fore. Bone JESU, exclamas, quale hoc monstrum: Religiosus & peccatum mortale! ignosce, precor, meliora quæque de te præsumo; at homo es, & peccare potes, si ergo (quod Deus avertat) in grave peccatum incideres, audi, quid te facere oporteret. Scribunt noster Wadings Tom. I. ad Ann. 1213. & ex eo Lanctius Soc. JESU Opusc. Spir. c. 19. Patri nostro Seraphico à Christo revelatum fuisse: *Quòd sacra ejus Religio ad ultimum usque iudicij diem perseveratura esset; quòd quicunque eam dilexerit, licet maximus peccator existat, DEUS ita res ejus disponet, ut misericordiam tandem à se in fine consequatur. Quòd quisquis illam persecutus fuerit, nisi pœnitentiam egerit, hac luce diu minime fruetur; quòdque nullus ejus alumnus, qui malè in ea vixerit, diu in mortali peccato perseverare poterit: Nam vel is proprium crimen confessus emendabitur, vel eō detectō, sibi valedicet.* Audīlli, si cecidisti, debes vel tibi vale, vel pœnitentiæ Ave dicere; jam elige, & elice.

10. Ah! quid me fecisse memini!
pec-

peccavi tibi, Domine, te summum bonum meum offendit! bone DEUS, doleo ex intimo ac toto corde meo, quod te DEUM meum, omne bonum meum, amantissimum patrem meum unquam offenderim. Execror & abominor omnia ac singula peccata mea. Velle potius periisse, aut nunquam fuisse, quam summam bonitatem tuam offendisse. Si infernus non esset, peccatum tamen mihi displacebat magis, quam omne aliud malum, idque unicè, quia est offensatio tua. Si sanguine meo fieri possit, ut non sis offensus, ecce me. Et jam nunc tuæ gratiæ innixus firmissime statuo, ac propono, te nunquam amplius offendere. Malo millies ipsam mortem, & omne aliud malum subire, quam imposterum in peccatum consentire.

EXAMEN.

In quodnam vitium sis pronior?

Magnus Gregorius 29. Moral. super illud Job. *Dividitur astus super terram. Describit diaboli versutias, dicens: Prius complexionem uniuscuiusque adversarius per-*

D S

spicit,

spicit, & tunc temptationis laqueos opponit.
Alius namque letis, alius tristibus, alius ti-
midis, alius elatis moribus existit; quô ergo
adversarius occultus facile capiat, vicinas
complexionibus deceptions parat. Quia lati-
tia voluptas proxima, letis moribus luxuri-
am proponit: Quia tristitia in iram facile la-
bitur, tristibus peccatum discordie porrigit:
Quia timidi supplicia formidant, paventibus
terrores intentant: Et quia elatos extollit la-
udibus conspicit, eos ad quacunque vulnerit,
blandis favoribus trahit. Singulus igitur ho-
minibus vitiis convenientibus insidiatur.
Perscrutatur diabolus tuas inclinatio-
nes, ut te eò efficacius tentare possit,
perscrutare tu eas, ut eisdem eò genero-
sius resistere valeas. Nosce te ipsum,
quis, & cuius naturæ sis? penitus te in-
spice, cui passioni sis magis subiectus,
quô vitio sèpius infesteris, & in quod-
nam crebriùs dadas? considera, an in
superbiam, an in iram, an in invidiam,
an in luxuriam sis pronior? Et ubi re-
prehenderis, te hoc illove certò vitio
fortius tentari, tunc contra illud
omnes exere vires, institue con-
tra illud tuas meditationes, &

particulare examen , fuge ejus occasio-
nes , exerce te in virtute eidem contra-
ria , accusa te accuratiū in confessione
de lapsibus in illud , &c. nec desiste , do-
nec vīctor evadas.

MEDITATIO SECUNDA.

De peccato mortali.

Punct. I. O peccator ! arguet te mali-
tia tua , & aversio tua increpabit te. Scito , &
vide , quia malum & amarum est , reliquisse
te Dominum Deum tuum. Jer. 2.19. Planè
malum & amarum est , te DEUM reli-
quisse. Qui DEUM amisit , omnia ami-
sit. Magna jactura est perdidisse opes ,
major perdidisse oculos , maxima , per-
didisse rationem , infinita , perdidisse
DEUM. Peccasti ; ergo comprehendend-
tunt te omnia mala , quæ timeri pos-
sunt ; perdisti enim innocentiam ,
gratiam , cœlum , DEUM , & omnia.
Immensum damnum censeret , excide-
re Domino , ex quo singulis annis cen-
sum aureorum millia perciperes , pec-
cando infinites plura & majora perdi-
sti. O vesanum peccatorem ; stultum
mercatorēm , qui pro nihilo dat omnia!

Hæc maturius cogita, & ita tecum disputa: Si pro certo scivissem, me propter peccatum meum proximum lento igne assari debere, an commisissim? minimè. Ecce Deus omne peccatum mortale justissimè æterno punit igne, quid? si jam fecisset, quod justissimè facere potuisset? quæso, ubi nunc essem? profectò jam multis añis arderem, in inferno arsurus in perpetuas æternitates. Ardent jam tot, & tot annis plurimi in inferno, qui minùs peccaverunt, pepercit mihi Deus, ut dignos pœnitentiæ fructus facerem, ut mihi ipsi non parcerem. Quocunque egero, quomodo cunque me ipsum mortificavero, non tamen erit mea vita nimis austera, aut pœnitentia nimis severa, pro illis peccatis, quibus pœna æterna debebatur. Quomodo mihi ipsi parcere potero, qui tam crudelis in DEUM meum fui? &c.

Punct. 2. *Amen, Amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati.*
Joannis 8. 34. Servitus peccati, subintrat Petrus Cellensis de panibus c. 15. Est servitutum servitus, servus namque peccati, est ser-

Servus tot Dominorum, quot vitiorum. Imperant ei vitia, non Domini, sed tyranni, non benevoli, sed inimici. Præsunt, sed sine utilitate, imperant, sed sine miseratione, mandant, sed sine discretione. Et sic majus est gaudium peccata vitare, quam ea perpetrare. Superbia, avaritia, & cætera vitia maiores labores, pericula, incommoda, & onera imperant, quam Christus, & vita Christiana. Conscientia quoque parvus ille, non parvitate foci, sed loci infernus continuis stimulis reum exagitat, & multò plus cruciat, quam peccatum delectabat. Quid enim delectationis præstat invidia? quid lætitiae odium? quid gaudii ira? ipsa sane vitia sunt supplicia, crima vulnera, ac omnia scelera gravissima pondera; & interim jugum Christi l'vave est, & onus ejus leve. His perpensis resolve te cum prodigo: *Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater peccavi in Cælum & coram te jam non sum dignus vocari filius tuus, &c.* Luc. 15. v. 18. & 19.

Punct. 3. Qui facit peccatum ex diabolo est; quoniam ab initio diabolus peccat. I. Joan. 3. 8. Imò peccator non solùm dia-

bolus est, sed ipso etiam dæmone pejor
 invenitur. Infra diabolum descendisti,
 dum DEUM offendisti. Diabolus nul-
 lam præcedentis peccati pœnam videns
 peccavit: Tu vides ejus pœnas, & ta-
 men ad peccatum properas. Ille nobilis
 creatura peccavit in innocentia consti-
 tutus: Tu vilissimus homuncio etiam
 in innocentiam restitutus. Ille peccavit
 tantum semel, tu sæpius. Ille perstigit
 in peccato DEO reprobante: tu verò
 tot modis, DEO revocante. Ille erat
 obduratus contra DEUM punientem,
 tu etiam contra DEUM tibi blandien-
 tem. Ille peccavit inferno nondum ex-
 istente: Tu, orco tibi jam jam immi-
 nente. Ille peccavit, nunquam post pec-
 catum in DEI favorem receptus, tu ve-
 rò toties DEI gratiam iterum adeptus.
 Ille peccavit contra non requirentem se,
 tu etiam contra morientem prote. An
 non erubet sis te ipso dæmone pejorem
 esse? heu me miserum! Ingemisco tan-
 quam reus, culpâ rubet vultus meus, sup-
 plicanti parce Deus &c. ex seq. miss. De-
 functorum.

LECTIO VESPERTINA.

De gravitate venialis peccati.

1. Erat filius amantissimi sui parentis (ex Claud. Aquavi. Soc. Jesu Gen. Ind. c. 11. n. 6.) quasi pupilla oculi, is, ne-
scio qua temeritate ductus, quotidie pa-
trem suum irridebat, conspuebat, per-
cutiebat, ac insuper multis, sed parvis
vulneribus sauciabat. Monebat pater,
desisteret, filius in risum solitus, dice-
bat: Ec quid tum? levia sunt ista, non
te interficio, non curio corrigere, sicutque
easdem injurias, contumelias & plagas
secundò, tertio, quartò fatipus, imò &
semper in majori, ac majori numero
reiterabat. Dic, quid censes de hoc
protervulo? ais: *Vivit Dominus, quoni-
am filius mortis est vir, qui fecit hoc. Ex
ore tuo, te judico, tu es ille vir.* 2. Reg.
12. Ecce! Deus amantissimus pater po-
suit te in Domō paterna, in sacra Reli-
gione, in Seraphico Ordine, ut esses fi-
lius & hæres omnium divitiarum, &
gloriae ejus: Tu interim hunc patrem
tuum ter optimum crebris tuis veniali-
bus vulneras, & filium ejus unigenitum

flagellas. Sicut enim peccata mortalia
(quantum ex ipsis) DEUM trucidant,
& filium ejus rursus crucifigunt: Ita ve-
nialia DEUM vulnerant, & ejus filium
flagellant. Quoties in veniale cadis, to-
ties faciem Christi cædis.

2. Dum enim peccatum etiam levissimum admittis, tale quid committis, pro quo nemo, nisi merita Christi satisfacere queunt. Licet omnes Angeli si incarnati fuissent, omnes sanctissimi homines, omnes creatæ potentiae mille saeculis omni austeritate vestium, ciborum, vigiliarum sese macerarent, licet diu noctuque precibus apud DEUM instarent, licet omnem sanguinem effunderent, sequæ in holocausta offerrent; non tamen possent (sepositis Christi meritis) satisfacere vel pro levissimo delicto: Ratio, quia etiam tale peccatum est læsio majestatis infinitæ, quæ rei creatæ obsequiō compensari nequit. Confirmatur hæc doctrina testimoniō DEI patris, qui S. Catharinæ Senensi expressè dixit: Dial. 3. Omnes pœna, quas anima sustinet, vel sustinere potest in presenti

facili-

seculo, nullo modo condignae sunt ad culpam etiam minimam puniendam; quoniam offensa, quæ mibi fit, qui sum bonum infinitum, procul dubio exigit satisfactionem infinitam.

3. Leve non est, quod DEUS offenditur. Audi mellifluum Bernardum Ser. I. de Convers. S. Pauli. Ego verba ejus ad numero, tu pondera: Discite fratres, inquit, justum judicem DEUM, non modo quid fiat, sed quomodo fiat, considerare, & cavete, deinceps ne quis parva reputet, quamlibet parva, si scienter delinquere convincatur, nemo dicat in corde suo, levia sunt ista, non curo corrigere, non est magnum, si maneam in his venialibus, minimisque peccatis, hac enim, dilectissimi, impænitentia, hæc blasphemia in Spiritum Sanctum, hæc blasphemia irremissibilis. Audis, quæ tu dicas levia, Bernardus dicit irremissibilia, & certè in te Religioso, si passim sine ullo emendationis proposito committas, sunt mortalia.

4. Insurgis miraris & ex Scoto in 4. dist. 21. q. 1. n. 4. argumentaris. Peccatum veniale & mortale sunt improportionabilia in ratione malitiae, vel offensæ; quia iu-

fini-

finita venialia , si essent , non equarentur unius mortali in ratione offensa ; quia nec omnia illa averterent à fine ultimo , sicut unum mortale . Quod scripsi , scripsi : Religiosus quæque occurrentia venialia passim , & deliberate admittens , peccat mortali- ter , idque (ne mireris) non ratione multiplicationis , sed ratione Professionis , ratione Religionis , ratione relaxa- tionis , ratione scandali , & ratione per- iculi . Dixi ratione Professionis , in hac te Religiosum fore promisi : Status Re- ligiosus est status perfectionis acquiren- dæ , secum trahens obligationem (S. Thom. 22. q. 184. a. 4. & 5.) sub mor- tali tendendi ad perfectionem , huic au- tem repugnat , qui indiscriminatim pec- cat . Dixi ratione Religionis ; Religiosus enim sub mortali tenetur ita vivere in Religione , ut eidem non sit graviter per- niciosus , inducendo alios suō malō ex- emplō ad relaxandam Regulam , ordi- nis disciplinam , &c. hoc autem fieret , si tantum ea servaret , ad quæ servanda sub mortali obligatur . Dixi ratione rela- xationis : Nam , ut S. Anselmus loqui- tur

curl. de simil. c. 122. Omnis Religio Monastici Ordinis funditus perit, si custodia ejus per modicum culparum contemptum patlatim tepercit. Dixi ratione scandali; alii facilè facient, quæ te facere vident. Hinc tritum illud Mellistui Doctoris l. 2. de consid. c. 13. Nuge in ore secularium nuge sunt, in ore Sacerdotum (quanto magis Religiosorum?) blasphemia. Consecrasti os tuum Evangelio, nagi illud aperire illicitum, aſuſcere sacrilegum. Dixi ratione periculi; nam ut docet D. Thomas 22. q. 105. a. 1. ad 2. Peccatum veniale per ſe disponit ad mortale. Se autem exponere proximo periculo peccati mortalis, mortaliter peccare est. Et S. Gregorius l. 13. Moral. c. 9. Nunquam illic anima, quo cetererit, jacet, quia voluntariè ſemel lapsa, ad pejora pondere ſua iniquitatis impellitur, ut in profundum corruens, ſemper adhuc profundius obruntur. Et iterum S. Bernardus ait de Ord. vitæ. A minimis incipiunt, qui ad maxima proruunt: Verissima enim sententia eſt. Neiro repente fit malus.

5. Vulnera minuta plura, ſi ſint neglecta, occidunt: Guttæ, guttarim admittiſſæ,

missæ, navim submergunt: Scintillæ parvæ, non curatæ, urbes incinerant: Locustarum copia, fit fructuum inopia. Sic omnino in venialibus: *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Eccl. 19. 1. Quia, ut S. Augustinus ait, de 10. Chord. c. 11. *Timenda est ruina multitudinis, etsi non magnitudinis.* Reginensis Episcopus Faustus in Instruct. ad Monac. t. 1. Bibliothecc. Patr. addit. *Si non statim me penitudo vitii cœperit, cras tanta mibi bujus vitii facultas veniet, & quædam ut sic dixerim suavitas, ut revocare me ab illo, & continere non possim.* Hodie torpescit internus mentis affectus, cras deficiet externum bonæ conversationis exemplum, perendie sacras inspirationes negliget, postea sua opera perfunctoriè & luridè peraget, deinde prætensis excusationibus omittet, tandem ruina.

6. Tam sollicitè sibi cavet bonus Religiosus à venialibus, quam cautè bonus sæcularis abstinet à mortalibus; nam Religiosus, juxta Dionysium Carthusianum de refor. Claust. a. 6. *qui ad vitandum peccata venialia non est solitus, nequam*

quam esse sine peccatis mortalibus potest. Et subdit: Quod quamvis multa continentur in Religiosorum Regulis & statutis, ad quae sub mortali non tenentur: ut non surgere alacriter ad matutinas, hinc inde discurrere &c. Verumtamen consuetudo excedendi, & assiduitas delinquenti in istis, & non curare, nec emendare, non potest à mortali excusari peccato, immo tota vita eorum est quasi quoddam peccare continuum. Venialia crines sunt, & quoties venialem noxam committis, toutes Diabolo unum crinem concedis, quem quia facile rumpendum putas, & te illō ligari negas, incautus in ejus manibus crines multiplicas, ex quibus ille funem nequit, & sic te ad funestum trahit interitum.

7. Si ex appositis ferculis unum præsentissimō venenō infectum scires, & quodnam esset, nescires, nunquid omnibus abstineres? certo certius. Ecce apud DEUM omnia sunt in pondere, numero, & mensura, est tibi certus præfixus numerus venialium peccatorum, quō completō, devenies ad mortalia,

talia, & tandem ad Tartara; & si tua
 æterna perditio pendet à veniali, illud
 autem quodnam sit, cùm defactò igno-
 res, consultissimum est, omnia omni
 possibili modo evitare. Hoc asserendi
 mihi ansam dedit, quædam sanctæ The-
 resiæ facta revelatio. Hæc purissima Vir-
 go, ut testatur Lancicius opusc. 10. c. 1.
 quæ nullam totâ vitâ suâ mortalem no-
 xam admisit, vidi, Deo revelante, præ-
 paratum sibi in inferno locum. Cujus
 rei causa nulla alia esse potest, quâm
 contemptus venialium, quibus initio
 vitæ spiritualis dedita fuerat, quæ si
 continuâisset, delapsa fuisset in mortalia,
 ac denique in illum infernalem locum.

8. Germen peccati ac damnationis,
 ut puta proprii amoris cupiditas, sem-
 per in nobis latet, si eidem levioris ma-
 li admittendi libertas conceditur, statim
 sibi audaciam vendicat tentandi gravi-
 us aliquid, neque modus est sistendi ru-
 entis impetum, nisi generosè se conver-
 tendo, eámque vitæ rationem ineun-
 do, ut nullum peccatum, quale, quale
 illud sit, saltēm deliberatè admittatur.

Apo-

Apostoli, Marci 9. 33. disputabant inter se: *Quis eorum major esset?* Unde accedentes ad JESUM interrogabant eum: Mat. 18. 1. *Quis putas major est in Regno Cœlorum?* Aberat fortassis hæc ambitio à culpa graviori: Magister tamen optimus hac occasione usus advocans parvulam, statuit in medio eorum, & dixit: *Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum Cœlorum.* An nondum tunc temporis conversi erant Apostoli? erant utique; adhæserat tamen adhuc eis quædam superbia, & ab ea illis conversio tam fuit necessaria, ut nisi infantium more, ab illa abhorrerent, essent è Regno Cœlorum excludendi; poterat enim hæc venialis ambitio paulatim capere incrementum, & evadere in mortalem. Quis jam veniale peccatum non horreat, si illud ipsos Apostolos successivè in mortale & damnationem sempiternam potuisse præcipitare? Et esto evadas infernum, non tamen effugies Purgatorium. *Poccata,* inquit S. Prosper in sent. S. Augustin, *sive parva, sive magna impunita*

nita esse non possunt, quia, aut ab homine patente, aut DEO vindicante plectuntur.

9. Jam dic, quō pretiō vivus exuri velles? nullō, inquis. Ecce! nullum velles acceptare pretium, ut horarium patareris incendium, & vel pro levissimā re comparas tibi Purgatorii flamas, non ad horam, sed in multos annos sustinendas. Ex acerbitate pœnæ collige gravitatem culpæ. Gravior est ille ignis Purgatorii, quam quidquid homo potest pati in hac vita. Fugientes ergo fugiamus etiam minimas noxas, tam atrociter in altera vita puniendas: Fugiamus venialia per sollicitam occasionum evicationem, per diligentem sensuum custodiam, per providam rerum mundanarum fugam, per continuam novissimorum memoriam, per generosam tentationum victoriam, per devotam divini auxilii implorationem, & studiosam ante aetæ vitæ emendationem. Fugiamus venialia non ex formidine pœnæ, sed ex timore divinæ offendæ. Qui perspicciunt, docet B. Catharina Genuen. in vit.c. 24. Quanti momenti sit offensa Dei,

non possunt alium estimare cruciatum, neque alium infernum, quam illam ipsam offendam. Adeo terribilis mihi videtur vel umbra saltem venialis peccati. Et ibidem c. 20. Nihil illa dæmonia, & supplicia inferni facio, cum intuitu offense DEI licet minima composita. Fuit mibi in spiritu demonstratum, multò intolerabiliorem esse DEI offendam quamlibet exiguum, ipsò Luciferò in inferno.

E X A M E N.

De Dominio passionum.

Militia est vita hominis super terram. Job: 7. I. Passiones, que militant adversus animam, I. Pet. 2. II. Nobiscum continuum bellum gerunt. Mi Religiose, in medio versaris hostium: Hostes tui passiones tuæ. Amor & timor, ira & fuga, odium & desiderium, tristitia & audacia, spes, desperatio, & deleqtatio hostes tui sunt. Quos conatus adhibes, ut hos hostes, prædominantes tuas passiones, extirpes? An non inordinatæ & exorbitantes affectiones tuæ sunt causæ peccatorum tuorum? quæ nam te magis infestant? à quandam passione majus da-

mnum pateris? An non sentis cor tuum
 alicui creaturæ affixum, ut inde hauria
 furtivam dulcedinem? Si te aliqua passio
 superavit, an statim te humilias, & ve-
 niam ab iis postulas, quos offendisti? in-
 quire, & persequere hos tuos hostes,
 fortiter dimica, nec desiste, donec frater
 rationis edomiti, tuo dominio plenaria
 subjiciantur. Amori & desiderio prae-
 cipe, ne appetant vetita: Spei & auda-
 ciæ manda, ne degenerent in præsum-
 ptionem: Delectationi, iræ, tristitiae &
 cæteris passionibus inculca, ne rationis
 limites transgressæ, abeant in vita. Sum-
 mat tui negotii in hoc conflictu domesti-
 co consistit, necesse est, te aut victorem
 aut victimum esse. Cave ne in domo DE-
 sis Martyr Diaboli.

MEDITATIO TERTIA.

De venialis peccati gravitate.

Punct. I. *Quid est, quod dilectus mens in domo mea fecit scelera multa?* Jer. II.
 15. *Quid est, quod Religiosus in sancta Religione, in domo mea singulari collocatus, tot beneficiis præventus, in tantam*

tanta occasionum abundantia positus, tot inspirationibus, adhortationibus, lectionibus, ac bonis exemplis impulsus, toties peccet? *Qui ut filius, inquit S. Basilius in Reg. fusè. Et non ut servus obedit DEO, etiam in minimis timet offendere.* Minima curares, & evitares, si DEUM verè amares. Quodlibet enim veniale frigescere facit charitatem DEI, offendit sanctitatem DEI, laedit bonitatem DEI, inhonorat immensitatem DEI, contemnit majestatem, ac infinitatem DEI. Tu leve ne dixeris, quod in contemptum DEI admittitur. Etiam veniale quamdam malitiam extrinsecè & terminativè infinitam habet, quia offendit bonum simpliciter infinitum. Hinc Ger sonis sententia est, tract. de spir. vit. *Eti am veniale contra DEU M est, ut is ex sua justitia hominem pro illo damnare posset in eternum, quod autem homini illud ad damnationem non imputet, non de justitia, sed de sua infinita bonitate procedit.* O mi DEUS, malo millies mori, quam te impostorum vel levissimè offendere, &c.

Punct. 2. Nolite contristare Spiritum
E 2 San-

Sanctum DEI. Ephes. 4.30. Spiritum Sanctum contristat, qui vel in minimo peccat. Peccata venialia, ait Taulerus c. 2. instit. animam deturpant, atque commaculant; unde Spiritus Sanctus contristatur; malignus verò spiritus exultat. Si necesse esset, vel DEUM levissimè offendи, vel totum universum in nihilum redigi; tunc melius foret, totum, quod non est DEUS, perire, quam veniale committi; Majus enim malum est minima offensa Creatori illata, quam bonum omnium creaturarum, finiti ad infinitum nulla est proportio. Si beatissimæ Virgini optio data fuisset, aut filium ex omnibus cruciati bus eripiendi, aut in veniale consentiendo; tunc maluisset filium suum iterum crucifigi citra culpam, quam minimam admittere noxam: Ex duobus namque malis, minimum est eligendum: minus autem malum est primum, quam secundum. Si Angelus, aut sanctus in coelo deberet aut veniali peccato commulari, aut damnari, mallet damnari, quam maculari, quia minimum malum culpæ toto ordine superat omne malum

pœ-

pœnæ. Si unico veniali posses omnes totius mundi peccatores convertere, omnes afflictos consolari, omnes animas è Purgatorio, & omnes damnatos ex inferno liberare, nunquam deberes tamen illud committere; quodlibet enim peccatum tale malum est, cui omnia alia temporalia & æterna mala debent cedere. Si deberes aut veniale committere, aut nescio quæ bona opera omittere, tunc obligareris magis à peccato abstinere, quam omnia talia opera exercere. Minimò peccatò DEUS plus irritatur, quam omnibus bonis operibus honoratur. Heu me! *Singuli illiciti motus animi mei*, ait Bernardus Epist. 42. ad Henr. Archiep. Senon. Sunt quadam in te DEUS, convitia, ut puta iracundiae motus in mansuetudinem tuam; invidiae, in charitatem; turpitudinis in castitatem: & innumera his similia, &c.

Punct. 3. Sic est, qui in modico ini quis est, & in majori ini quis est. Luc. 16. 10. Venitur à minore ad majus: à morbo ad mortem. Veniale morbus est, quod intellectus obscuratur, ratio obnubilatur,

voluntas debilitatur , & totus homo ad
 affectanda laxa , remissa , ac sensualia in-
 clinatur . Lepra est separans animam ab
 amplexu cœlestis sponsi : Asthma est ,
 causans difficultatem aspirandi ad cœle-
 stia : Podagra est , vetans progredi in via
 virtutis : Surditas est , prohibens audire
 divinas inspirationes : Vulnus est , inter-
 gram animæ sanitatem impediens . Et
 interim verum est , quod S. Dorotheus
 Ser. 20. docet : *longè melius est , & corpus*
tuum , & omnia corporea perire simul , quam
lædi animam tuam in re etiam minima . Imò
juxta Cassianum Coll. 6.c.3. in rebus hu-
manis nihil malum dicendum est , nisi solum
peccatum . Hinc , si omnes ferocissimæ be-
stix , omnes atrocissimi tyranni , omnes
infernales dæmones , omnes omnino
creatüræ in te sævirent , non tantum tibi
inferre possent damnum , quantum tu
solus perditis tuis peccatis tibi infers .
Maximus tui ipsius hostis tu ipse es . Ad-
hucne lædam animam meam , & offen-
dam DEUM meum ! O DEUS , si vides ,
qui omnia vides , quòd posthac sim of-
fensurus te , potius hoc momento tolle
me , ne amplius offendam te , &c . Di-

DIES TERTIA.

Spiritu Sancto consecranda.

Oratio jaculatoria: *Moriatur anima
mea morte justorum, & fiant novissi-
ma mea horum similia.*

MEDITATIO PRIMA.

De morte.

Punct. I. Statutum est hominibus semel mori. Heb. 9. 27. Statutum hoc generale est, à quo nem o excipitur. Ergóne moriar ego? certo certius. Quando? quomodo? ubi? Deus scit. Moriárne in gratia finali, cum perceptione Sacramentorum? incertum est, hoc solum est certum, quod sis moriturus. de quolibet defuncto hoc dici potest: *Fuit*, de te: *Es*, de futuro: *Erit*. Fuisse nihil est: Esse momentaneum est: Fore, aeternum est. Modò es, ut ad felicem aeternitatem properes; ergo sicut singulis diebus evadis morti vicinior; sic etiam quotidie fias perfectior. Dum cœpisti vivere, ad vitæ metam cœpisti currere, hunc ipsum diem quem agis, cum morte dividis; quia sicut hodie, sic & quotidie demitur aliqua pars vitæ tuæ. Vivens

*semper morere, admonet te S. Ambrosius
l. i. de fid. Resur. ut moriens semper vivas.
Morere semper, ut bene moriaris semel:
Morere hodie superbiæ, cras invidiæ,
perendie luxuriæ, & sic quotidie aliis
vitiis. Optabis in morte, sic te fuisse
mortuum. Optima judicia de rebus
mundi sunt ultima. Et voluntates, quæ
ultimæ dicuntur, pro sacrosanctis ha-
bentur. Quæ erit suprema tua volun-
tas? Si sapis: Fac modò, quæ moriens
facta fuisse voles, cogita quæ velles, &c.*

Punct. 2. *Mors peccatorum pessima. Ps.
33. 22. Quare pessima? Audi S. Bernar-
dum in Epist. *Mala in mundi ammissione, pe-
jor in carnis separatione, pessima in vermis
igni, que duplice contritione.* Mala propter
corporis infirmitatem, pejor propter
animæ anxietatem, pessima propter u-
triusque extremam calamitatem. Mala
propter Dæmonum apparitionem, pe-
jor propter peccatorum repræsentatio-
nem, pessima propter sententiæ dubiæ
exspectationem. Mala propter vitam
malè transactam, pejor propter intus
pungentem conscientiam, pessima pro-
pter*

pter instantem æteruitatem nunquam finiendam. Ad facem, quæ in agone manus datur, incipiet impius jam fratris oculis videre, quæ nunquam vidi, experiri, quæ unquam cogitavit, & sentire, quæ nunquam cognovit. An non perditè vivendo, te proximo male moriendi periculo exponis? inquis: Moriturus deponam apud sacerdotem peccata mea, conabórque magno pietatis sensu exspirare. Noli, quæso, noli fide-re, non bene moritur, qui malè vixit. Uti vivis, ita morieris: Vive vitam iustorum, ut moriaris morte eorum. Constitue te, quasi in mortis articulo versareris, despice mundum, suspice cœlum, eos virtutum actus elice, quos exoptas tunc formare posse, &c.

Punct. 3. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.* Psal. 115. Pretiosa sanè, quia finis laborum, & pretium omnis boni, quia natalis & janua æternæ vitæ, quia consummatio victoriæ, & initium cœlestis gloriæ; quia ingressus perfectæ securitatis, atque omnis felicitatis. O quam jucundum est mori illis, quos mundo mortuos vivere non dele-

Stat! O quām suavis est mors illis, qui nullam in hac vita quærunt lātitiam! O quantum erit bono Religioso solatium in morte cum moriente Domino dicere posse: *Consummatum est.* Dicet tunc, Domine tu dixisti: Si vis ad vitam ingredi serva mandata: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes, & sequere me. *Consummatum est.* Reliqui omnia, ut haberem te & omnia, feci, quod præcepisti, & consulisti, redde, quod promisisti. Cursum consummavi, fidem ac vota servavi, redde mihi coronam justitiae. O mi JESU, mors tua sic vita mea, liceat mihi amore tui mori, ut contingat mihi amore tui mortuo æternū vivere. Sic moriendo vivere non desinam, & sic vivendo amare non desistam, &c.

LECTIO MATUTINA.

De Psalmodia.

1. Divinum Officium Angelorum exercitium, & sacram psalmodiam Seraphinorum Melodiam esse, Isaias 6. 3. Vedit: *Clamabant, inquit, alter ad alterum,*
& dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus

minus DEI exercituum, plena est omnis terra gloriâ ejus. Ab his cœlestibus Choraulis, teste Damascenol. de Trisag. Ecclesia Chorum, seu alternatim psallendi modum didicit. Quod Seraphici Spiritus in cœlis, hoc faciant Seraphici Ordinis alumni in terris: Illi unum, hi alterum chorum faciant, præcipiente P. N. Seraphico: Reg. c. 3. Clerici faciant divinum Officium secundum ordinem sancte Romana Ecclesie. Bene, optime, nam ut S. Magdalena de Pazzis Monit. Spirit. de Offic. Divin. advertit. Unum exercitiorum DEO magis acceptorum, in quo plures gratia communicantur, est laudare DEUM in communitate. Meditatio, & oratio particularis exigui est meriti coram DEO, compunctione celebrationis, divini Officii in Choro.

2. B. Dulcelina, Virgo Tertiaria (Annal. t. 2. Ann. 1290.) in die Pentecostes in templo FF. Minorum orans, vidi Spiritum Sanctum super fratres in choro psallentes descendere. Alia vice eos diversimodè fulgere conspexit, juxta plures vel pauciores, quos recipiebant, gradus Charitatis. Fr. Ertfordus Pro-

vinciae Saxonie (Annal Ann. 1249. n.
 9.) Vedit Angelum aureo thuribulo fra-
 tres in choro psallentes incensare. In
 Conventu Lusitanico Estremoz (Añal.
 Ann. 1293. n. 6.) Fratres nihil habe-
 bant, quod manducarent, impigre ta-
 men divinis laudibus insistebant. Incola
 quidam illius loci locuples, sed avarus à
 somno excitatus, vedit super tectum
 templi viginti novem candelas accen-
 sas, & optimo ordine dispositas, modò
 duas, modò unam, deinde alias, & ali-
 as ultra cæteras ascendere. Obstupera-
 tus exercefecit uxorem, quæ, visio-
 nem piè interpretata, suasit ut die se-
 quenti fratribus mitteret subsidium ali-
 quod. Accessit ille loci Guardianum,
 interrogat, quot fratres haberet, utque
 cognovit viginti novem esse, non im-
 merito judicavit per totidem candelas
 in Choro psallentes fuisse designatos,
 eosque per ascendentes candelas desi-
 gnatos, qui majori mentis elevatione
 divinum Officium persolvebant. Proti-
 nus ergo misit, quod manducarent,
 eorumque deinceps eximus benefactor
 per-

permansit. B. noster Andreas Burgundus (Annal. Ann. 1262. n. 40.) in specie pulcherrimi pusionis Dominum sibi apparentem habuit. Pulsatâ ad vespertas campanâ, dubius hæsit, quid ageret. Audite resolutionem, & obstupefcite, corporalibus Christi amplexibus sacram præculit psalmodiam. Factum Jesus, reducem à vesperis exspectans, approbavit, atque ob tantam dignationem gratias agenti respondit: *Sic factum est, quia tui Ordinis institutis es obsecutus, at si aliter fecisses, nec ad Vesperas ivisses, te prorsus insalutato recessissim.* Disce ex hoc Chorum habere charum.

3. Sed prô dolor! sexcentas excusationes fingis, ut te Chorô subducere possis, & hisce tuis frivolis prætextibus satis indicas, te parum amare eum, cuius tantopere fugis colloquium. Te & tui similes Osores Chori noster Antonius de Guevarra Orat. Reli. c. 34. & 35. sequenti perstringit censurâ: *Religiosus qui per obedientiam aliquod Officid detentus non est, neque chorô vult interesse nisi coactus, in ordine retinendu non est, nec de sua salu-*

re securus; quandoquidem non respondet intentioni fundatorum, & injustè devorat, quæ lucrati sunt fratres. Si optas in ordine vivere quietè, & gaudenter, asvesce continuò frequentare divinum officium, quicunque enim inimicus est chori, fiet intollerabilis suæ religioni, vel tandem apostatabit.

4. Sunt qui ex servili timore Chorum frequentant, sed ferè semper serò veniunt. In hos statuta nostra Generalia. (2. §. i. ita decernunt) statuimus, quod ante horarum & missarum principia fratres omnes (quos rationabilis causa non excusat) ad chorum conveniant, præparaturi Domino corda sua ibique sínè discursu, murmure, vanis & vagis aspectibus sub silentio, in pace, & cum debita gravitate & attentione permaneant, cantent, orent, & usque in finem perseverent unanimiter. Præpara igitur animam tuam ante horas Canonicas ad mentis elevationem, amputa sensuum evagationes, sæculares imaginationes, vadas cogitationes, omnésque causas distractionum, remove curas & solitudines, otia & negotia, totumque te ad colendum DEUM excole; nam, ut docet

docet noster Doct^r Seraphicus spec. discipl. c. 16. tanto amplius reverentia & diligentia divino debetur Officio, quanto id Deo immediatius exhibetur. Si, præparatione præmissa, & diligentia humana non obstantibus, nihilominus distractiones mentem tuam dissipent, commendam id totum dulcissimo cordi Jesu emendandum; siquidem ipse B. Gertrudi l. 3. c. 25. quadam vice multum distractæ apparuit, propriisque manibus cor suum repræsentans dixit: Ecce cor meum, cui omnia, quæ per te minus supplere sufficiunt, fiducialiter pro te supplenda commendabis: Et sic omnia coram oculis meis apparebunt sumè perfecta.

5. Sunt & alii, qui sat citò quidem Chorum adeunt, sed ridiculis suis gestibus ibidem DEUM non colunt, sed offendunt. Nunc huc illucque circumspiciunt, nunc sedibus affixi lecti molliem querunt, nunc pulpitis incumbunt, nunc libros inutiliter evolvunt, & nunc alios insultis suis gesticulationibus dissolvunt. Narrat noster Wadings (Annal. ad Ann. 1220. n. 64.) quod, dum

dum quidam inter Completorii preces loci sanctitatem minus religiosè respicerent, quin dissolutè riderent, repentino, & magno fragore Christi crucifixi effigies, quæ super Chori ostium pendebat, verso ad ridentes torvo vultu indignationem magnam, & subsannationem rigidam erga insolentes indicarit, quam & illi senserunt; nam ex tremendo fragore, & commoto Christi vultu, statim tabescentes, qui præcipui erant in culpa, paucis post diebus è vita discesserunt. *Placendum est divinis oculis,* monet Cyprianus Martyr l. de orat. Dom. & habitu corporis, & modo vocis.

6. In modo vocis peccant, qui eandem flexili lascivia ad ostentationem elevant, culpabile est, si vocis elevatio plus fiat propter auditorem, quam Creatorem, si plus redoleat vocis ostensionem, quam mentis devotionem, si cantantem plus delebet nota decorè prolata, quam res cantata. Hi profectò non *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto,* sed sibi & voci, & cantui suo personant. Non sic impii, non sic: Cantandum est nemini.

nemini , nisi Numinis. Audite admonitionem , quâ noster Patriarcha suos Choraulas instruit: (Wading. in opusc. S. Francisc. Epist. 11.) Clerici dicant Officium cum devotione coram DEO , ut possint per veritatem mentis placere DEO , & non cum lascivitate vocis aures populi demulcere , & non attendentes melodiam vocis , sed consonantiam mentis , ut vox concordet menti , mens vero concordet DEO. Fiat omnium verborum , syllabarum , ac literarum uniformis , honesta , gravis , accurata , integra , & per omnia æqualis pronuntiatio: Sit vox viva , rotunda , distincta , aper- ta , & naturalis , non dissoluta , non af- fectata , non coacta , & quasi extorta : sit laus plena , sit sonora , sit jucunda , sit de- cora , S. Thom. in miss. de ven. Sacra. plena de abundantia cordis , sonora de consonantia vocis , jucunda de lætitia spiritus , decora de reverentia corporis : Fluat cantus sine verborum omissione , transpositione , syncopatione , elisione , & elatione , ita ut omnes simul incipi- ant , pausent , & finiant.

7. Liquida sunt verba , quæ (c. Docen- tes.)

tes.) choro adstrictis districte in virtute
 sanctæ obedientiæ præcipiunt: Ut di-
 num officium diurnum pariter ac nocturnum,
 quantum illis Dominus dederit, studiosè cele-
 brent, & devotè. Ubi glossa signanter ad-
 dit: studiosè quoad officium oris, devotè quo-
 ad officium cordis. Corde igitur & corpo-
 re psallendum est, quod maximè fiet, si
 cogitet se hominem reum, servum
 mendicum, egenum, discipulum, fili-
 um coram Deo, judice, Domino, divi-
 te, magistro, & patre suo adstare; si
 fratres suos tanquam Angelos aspiciat;
 si præparationem præmittat; si verba
 attentè consideret; si sanctis nominibus
 ex- & internam reverentiam exhibeat.
 Hanc devotionem ut acquiras, necessè
 est, ut singulos versus eō affectu expri-
 mas, quem sensus ipse indicat. Debes
 nempe credere, quæ Spiritus Sanctus
 asserit: sperare, quæ promittit: timere,
 quæ minitatur: fugere, quæ prohibet:
 amplecti quæ commendat. Oportet, ut
 cum Davide varios virtutum actus in-
 ter psalmodiam elicias. Jam laudes Dei
 potentiam, jam desideres ejus cœle-
 stem

stem gloriam, mirare jam ejus magnalia, pete jam animæ & corporis tui necessaria, modò dole de peccatis, modò propone meliora, modò DEUM dilectum super omnia amā.

8. Psalmos amorosè psallere Psalmista docet, dum dicit: *Dirigatur oratio mea sicut incensum.* Psal. 140. 2. Quare sicut incensum? naturam thuris considera: Si in mortuis carbonibus collocetur odorem non sparget, at vivis superpositum, dat odorem savitatis. Haud aliter thus divinæ laudis in frigido corde repositum remanet in terra; ubi vero carbonem cordis per Seraphicum amorem ardentem invenit, ibi ascendit sicut incensum ad Dominum. Talis Seraphicus carbo S. Franciscus erat, de quo Bonaventura. Vit. c. 9. *Totus quasi quidam carbo ignitus divini amoris flammâ videbatur absorptus.*

9. Disce à Patre tuo Seraphico pensum divini Officii devotè persolvere. Solitus erat DEI servus (scribit de eo S. Cardinalis Vit. c. 10.) horas Canonicas non minùs timoratè DEO persolvere, quam devotè. Nam licet oculorum, stoma-

stomachi, splenis & hepatis ægritudine laboraret, nolebat tamen muro vel parieti inhærere, dum psalleret; sed horas semper erectus & sine caputio, non gyrovagis oculis, nec cum aliqua syncopa persolvebat. Si quando esset in itinere constitutus, figebat tunc temporis gressum; hujusmodi consuetudinem reverentem & sacram, propter pluviarum inundantium non omittens. Graviter etiam se putabat offendere, si quando orationi deditus, vanis phantasmatibus interius vagaretur. Cùm aliquid tale accideret, non parcebat confessioni, quin illud protinus expiaret. Hoc studium sic in usum converterat, ut rarissimè muscas hujusmodi pateretur. Psalmos cum tanta mentis & spiritus attentione dicebat, quasi DEUM præsentem haberet: & cum nomen Domini in eis occurreret, præ suavitatis dulcedine labia sua lingere videbatur.

10. Pro lectionis coronide disce cum singulari semper devotione *Gloria Patri,* &c. dicere refertur. (Honor. solit. sup. Psal.) quòd quidam Religiosus, qui horas

ras suas negligenter persolvere conservaverat, post mortem alteri apparens, & interrogatus, quidnam ob præfatam negligentiam secum aetum esset? responderit: Hanc se recuperasse per *Gloria Patri*, &c. quod magna semper reverentia dicere solitus fuisset. Dic & tu ter maximum hoc trisagium cum maxima, quam potes reverentia, decentique corporis inclinatione. Dic, ut S. Trinitati debatum obsequium præstes, summam dilectionem in DEUM indices, subiectiōnem tuam demonstres, & sic inclinatus, divinam benedictionem impetres. Dic, & cum dicis *Gloria Patri*. Gratulare illi totam illam gloriam, quam habet a Filio & Spiritu Sancto: Dic, & cum dicis: & *Filio*, fave illi totam illam gloriam, quam habet a Patre & Spiritu Sancto: Dic, & cum dicis: *Et Spiritui Sancto*, appreciare illi totam illam gloriam, quam habet a Patre & Filio. Dic, ut cum dicis: *Sicut eras in principio &c.* SS. Trinitati omnem laudem, honorem & gloriam in illo, & quolibet momento exopta, quam a omnibus creaturis habuit, habet, & in-

gter-

æternum habebit. Sic ergo Gloria Patri,
 & Filio, & Spiritui Sancto; sicut erat in prin-
 cipo, & nunc & semper & in secula seculo-
 rum, Amen.

E X A M E N.

De mundi contemptu.

Arca Noë Conventum, & duo emis-
 sa volatilia, duo genera Religiosorum
 repræsentant. Heu me! quot corvi, &
 quām paucæ columbæ! Illi Religiosi co-
 lumbæ sunt, qui etiam necessitate co-
 gente, ægrè exeunt, expeditis negotiis
 quantocius domum redeunt, ac sem-
 per ad suum Conventum, velut ad ar-
 cam, respiciunt. Corvi econtra sunt, qui
 sub bello prætextu excursiones quæ-
 runt, necessitates fingunt, atque ex ca-
 dio solitudinis ad externa diverticula,
 velut corvus ad cadavera, confugiunt.
 Nunquid & tu ex his posterioribus es?
 Vitasne, quantum obedientia permit-
 tit excursiones? quale de rebus hujus
 mundi formas judicium? an eas eate-
 nus tantum æstimas, quatenus ad con-
 secutionem DEI te ducunt? quō animō
 affe-

affectiones es ad mundi bona honores, divitias, voluptates? erga consanguineos, affines, cognatos, & notos quem te praebes? amasne frequentari a saecularibus? libenterne hauris novos rumores? an non te immisces tricis, & litigiis saecularium? an observas Regulam ab Apostolo tibi traditam: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis saecularibus, ut ei placeat, cui se probavit?* 2. Timoth. 2.4. Emorere mundo, & quales habebas impetus ad mundum, tales habe ad artificem mundi.

MEDITATIO SECUNDA.

De judicio extremo.

Punct. I. *Omnis stabimus ante tribunal Christi.* Rom. 14. 10. Ibi a dextris erunt peccata accusantia, a sinistris innumera dæmonia, desuper iratus Judex, subtus horrendum chaos, foris mundus deserens, intus conscientia pungens. Heu miser peccator? sic deprehensus quo fugies? non poteris appellare, quia supremus Judex est: non poteris aufugere, quia ubique præsentissimus est: Non poteris resistere, quia potentissi-

tissimus est. Rogabis? non est tempus misericordiae, sed justitiae; negabis? fallere non potes, justus enim hic Iudex ipsa sapientia est; muneribus corrum pes? non mitigatur pecuniâ, cujus sunt omnia. Omnia discutientur sine exceptione, omnia judicabuntur sine personarum acceptione, omnia punientur sine remissione. Tu ipse aut bene, aut male vivendo pro-ut contra te scribis sententiam. Hoc ergo unicum est necessarium, ut modò declines à malo, & facias bonum. O Jesu! cùm veneris judicare, noli me condemnare, dirige me modò per viam mandatorum tuorum.

Punct. 2. Dico vobis (æterna veritas loquitur) quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii. Matt. 12. 36. Age, si de iis verbis, quæ nullum hominem offendunt, reddenda erit ratio, quid erit de verbis contumeliosis, scandalosis luxuriosis? quid de cogitationibus impudicis, superbis, invidiosis, vindicatibus? quid de manibus sanguine plenis? quid de votis sacrilegè tractis? quid denique de

de universo tempore in operibus iniquitatis malè consumpto? ad quem se tunc convertat impius? num ad aliquem sanctorum? illos imitari neglexit: Num ad Angelum tutelarem? ejus monita contempnit: Num ad Matrem misericordiæ? eam in vita pro matre habere noluit, ergo ei jam clausa erunt misericordiæ lumina, benevolentiæ viscera, Matris ubera: Num ad JESUM? parens esse desiit, judex esse incœpit. Quid ergo agam? scio quid agam, agam poenitentiam, & dum tempus est, amplexabor consilia meliora, saniora, tutiora. O Deus! adjuva hanc voluntatem meam, ut vivam secundum legem tuam &c.

Punct. 3. Minitatur Judex: *Cum acceperò tempus, ego iusticias iudicabo.* Psal. 74. 3. Lucerna in tenebris fulgere cernitur, quæ in sole posita obtenebratur: Et nostra iustitia, ad divinæ iustitiæ examen deducta, in iustitia reputatur. Tunc, tunc patebunt omnia, peccata omnia, mala omnia, bona omnia, bona neglecta, horæ perditæ, gratiæ rejeclæ, inspirationes missæ, opes impensæ,

& expensæ. Ibi, ibi examinabit omni-
scius Judex gratias tibi datas, & inve-
niet eas te recepisse in vanum: Exam-
nabit concessa tibi tempora, & invent-
et ea transiisse sive fructu: Examinabit
cogitationes, & inveniet eas vanas, ve-
nereas, illicitas: Examinabit dicta & fa-
cta, & inveniet ea peccaminosa: Ex-
aminabit bonorum omissiones, & inve-
niet plurimas: Examinabit bona opera
& inveniet ea vitiosa, facta sive inten-
tione bona, ex tepiditate mala, ac con-
suetudine arida. Ad omnia ergo im-
sterum tua opera te ipsum ita alloquere:
Attende, quid jam agas, de hoc enim
ibi judicaberis. Heu me! Vereor omnia
opera mea! Juste Judex ultionis, donum
fac remissionis, ante diem rationis, &c.

LECTIO VESPERTINA.

Multi sunt vocati, pauci vero electi.

Matth. 22. 14.

1. Seraphicus noster Pater (Engel-
grave in Lucæ Evang. Dom. 19. post
Pent.) de sua salute per revelationem
certior factus, ita gestiebat, ut corporis
sui

sui ergastulum disrumpere videretur,
ita cœlestibus deliciis inebriabatur, ut
ciborum, & omnium rerum humana-
rum immemor esset, ita exultabat, ut
se continere non posset, quin jugiter ex-
clamaret: *Laudetur DEUS, laudetur DE-*
US! habet Franciscus causam lætandi,
nam inter prædestinatos censeri, sum-
ma votorum est. Sed heu nos miseris:
Quid de me & te futurum erit? quis scit
an nomina nostra scripta sint in cœlis?
quis novit an in fide, gratia & vocatio-
ne nostra firmiter persisturi, & ita per-
venturi simus ad gloriam, an verò dese-
sturi, & sic tanquam indigni repudian-
di, ac damnandi ad flammam? *Orem te*
putas, inquit S. Augustinus l. de ovibus.
c. 10. *bircum te forte DEUS novit.* si tam
malus es, quam alii, time, ne tibi con-
tingat, quod tam multis aliis. Quod
peccaveris certò scis, an veniam impe-
traveris nescis. DEUS non amittet ideo
suam gloriam, si te propter tua peccata
mittat in gehennam.

2. Et profectò tam horrenda res est,
æternum damnari, ut licet unus tan-

tum ex omnibus filiis Adæ , tali suppli-
cio mactandus esset ; omnibus tamen
vehementer esset, expavescendum; jam
verò longè plures damnantur , quam
salvantur , quis hoc audiens non toto
corpore contremiscat ? discipuli à Serva-
tore audientes : *Unus vestrum me traditu-
rus est.* Matth. 26. 21. Omnes timue-
runt , sciscitantes ; *nunquid ego sum?* Ec-
ce ! non unus è duodecim , sed pro uno
salvando duodecim , immò longè plures ,
damnandi asseruntur , forsitan & tu ex
illis es ? S. Abbas Nilus (Baro. ad Añ. 97
6.) non dubitavit dicere : *è decem milli-
bus vix una reperitur anima his temporibus ,
quæ ad numerum Sanctorum Angelorum per-
veniat.* An tua anima erit ex decem mil-
libus hæc unica ? te ipsum conveni : an
cum multis , an verò cum paucis vivas ?

3. Quando diluvium inundavit uni-
versam terram , non nisi octo homines
in arca salvati sunt. E sexcentis millibus
armatorum non nisi duo transferunt
Jordanem. Motâ piscinâ è tot morbidis
non nisi unus sanatus fuit. Ex multis qui
in stadio currunt , tantum unus accipit
bra-

bravium. Hæ similésque figuræ sat manifestè nobis insinuant, quod pauci salvantur. Cùm gloriosus noster Bertoldus (Platus de bon. stat. Relig. l. i. c. 5.) in quoddam vitium acriùs fuissest inventus, quædam mulier, eō constricta, vi contritionis sub ipsa concione mortua condidit. Fundit cum tota multitudine zelosus verbi divini præco pro defuncta preces: Jubetur illa redire ad corpus, indicat suæ mortis causam, expiat confessione illud peccatum, narrat multa, quæ viderat, & ait: cùm ergo ad DEI tribunal starem, adducta sunt etiam sexaginta millia animarum, quæ toto orbe è vita excesserant, ex quibus omnibus tantum tres adductæ sunt ad Purgatorium, unus autem è Franciscanis fratribus per Purgatorium transiit, & duas alias animas, quæ præcipuā cum eo amicitiâ conjunctæ fuerant, secum in cœlum adduxit.

4. Ais: Religiosus sum, salvus ero.
Fateor, magnum prædestinationis signum est, in Religione esse, multi, si in seculo mansissent, infallibiliter periissent,

sent, qui tamen beneficiō suā vocationis sententiam æternæ damnationis evasēre. Verum enim verò noli existimare tibi omnia in sola Religione, locō, tonsurā & habitu salva esse, etiam in Religione certo certius damnaberis, nisi tui Ordinis Regulam, vota & statuta observaveris. Sicut salus tua æterna annexa est tuæ vocationi, si eidem conformiter opereris; ita, si statui tuo difformiter vivis æternam tibi damnationem acquiris. Judam cogita, hic ad Apostolatum vocatus, in fune funestè periit, quia non dignè sua vocatione ambulavit. Neque quod esset ex duodecim, inquit Chrysostomus Ser. quod nemo hæditur, &c. Neque vocatione Christi quicquam ei profuit, quoniam animum ad virtutem paratum non habebat.

S. Dominicus (Bzoviust. 14. Annal. Ann. 1213.) energumenum conjurans ex maligno spiritu sciscitatus est, cuius statūs & conditionis homines plurimi inter Christianos damnarentur? respondit dæmon: Principes utriusque sexus, & Prælatos sine numero habemus,

mus, rusticos paucissimos, mercatores & cives sat multos, Sacerdotes etiam multos; at vero Religiosos (iterum iterumque nota voculam *verè*) nulos, plurimos autem ex his, qui, nulla ordinis sui statutorum habita ratione, ea per te-
meritatem transgrediuntur. Et hinc de talibus S. Basilius de abdic. rerum dicit: *Quod inter monachos pruici salvantur.* Abbas Sylvanus (Ruffin. l. 2. vit. PP. n. 205.) hujus terribilis sententiae testis oculatus est, qui ad judicium raptus, vedit multos de habitu monachali euntes ad supplicium, & multos Laicorum ad regnum DEI. Ergo, *si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Matth. 19. 17. Non queras aliam prædestinationem, dilucidat hunc locum Eusebius Emissenus, *in his enim verbis omnis & vita & mortis prædestinatio consistit.* Si vis salvari, debes Christo conformari, docente veritatis doctore Rom. 8. 29. *quos prescivit,* (hoc est, ut exponunt Origenes & Augustinus: *præ dilexit,*) & *prædestinavit, conformes fieri imagini filii sui.* Christus Dominus exemplar est paupertatis, non habens

ubi caput reclinaret: Exemplar est castitatis Angelicæ, qui pascitur inter lilia: Exemplar est obedientiæ, obediens usque ad mortem crucis: Exemplar est omnium virtutum, via, veritas & vita, si ei hic similis eris in via, eris etiam ibi in patria..

6. Ex adultis, ut docet Valentia. t. 1.
q. 23. de prædest. disp. 1. Punct. 4. nullus est prædestinatus, nisi qui prævisus est, in hac vita bene operari finaliter, & quoniam incertus es, quānam horā ex hac vita discedes, omnitempore tibi bene vivendum est, ne finaliter non bene operans inveniaris. Quòd autem times, ne in peccato vitam finias, id te vehementer ad piè vivendum incitare debet, ut quod ex te cum divina gratia pendet, & tibi incertum est, semper recte vivendo, ipso eventu certum facias. *Prædestinatur à DEO filius alicujus.* Docet Doctor Angelicus. I. p. quæst 23. a. 8. in corp. *ut etiam sub ordine prædestinationis cadat, quidquid hominem promovet ad salutem, vel orationes propriæ, vel aliorum, vel alia bona, vel quidquid hujusmodi, sine quibus*

bus aliquis salutem non consequitur. Unde
prædestinatis conandum est ad bene operan-
dum & oraudum, quia per hujusmodi præde-
stinationis effectus certitudinaliter impletur.
Propter quod dicitur. 2. Petri. I. satagite, ut
per bona opera certam vestram vocationem &
electionem faciatis. Non dicit agite, sed sat-
agite, quod innuere voluit, plus requiri
ad salutem, quam tibi imaginaris. Noli
salutem tuam suspendere è filo voculæ
illius forsitan; cogita, quod de negotio
æternitatis agatur, quodque semel pro
semper verum sit: Regnum cælorum vine-
patitur, & violenti rapiunt illud. Matth.
11. 12. ut & tu illud rapias, necesse est,
ut per mortificationem tibi ipsi vim in-
feras. Si tu unicus centum cruces por-
tare debeas, nullam abjice: Si unicus
omnes mundi contemptus ferre debeas,
nullum fuge: Si unicus centum cervices
securi potrigere debeas, nullam subtra-
he: Si unicus omnium desolatorum af-
flictiones subire debeas, nullam abnue:
Millies mori sit tibi jocus; modò ad fe-
licissimam illam paucorum societatem
pervenias.

7. Semper, ubique & in omnibus vi-
ribus tuis declina à malo, & fac bonum;
nam si te DEUS prædestinavit ad salu-
tem, non prædestinavit te duntaxat per
bona opera sumpta generatim, sed per
hæc & illa singillatim, quæ prævidit à te
executioni danda. Si illa omittas, erit
prædestinatio tua incertissima; quia
certum est, si in statu peccati discedas,
te damnatum iri, nec est certum te in
eo statu non decessurum. Apud Deum
sunt omnia in certo numero, mensura,
& pondere. Est tibi certum peccatorum
pondus prævisum, ubi gravitatem pee-
cati ultimi bilanci divinæ justitiae im-
posuisti, ibi periisti; ne ergo pereas, quod
libet peccatum, quasi pro ultimo, su-
spectum caveas. Est tibi certa gratiarum
mensura præordinata, quam si in vacu-
um recepisti, periisti; omni ergo gratiæ
cooperare, ne audire cogaris: *Vocavite*
& rennisti. Est tibi poenitentiam agendi
certus occasionum numerus præfixus;
cùm ergo ignores quæ sit ultima, omni
utere, nullâ abutere.

8. Tangeris, & angeris: Fortè jam
ulti-

ūltimum commisi peccatum? fortè Deus nequaquam mei ultra miserebitur? bonō esto animō: Si nitaris ita vivere, ut cœlesti habitationi congruas, si virtutibus studeas, si bonis operibus insistas, si peccata pro posse fugias, si cuiusdam delicti conscius sinē mora pœnitere, tēque emendare omnem diligentiam adhibeas, poteris securē sperare te nondum peccatorum numerum compleuisse; nam si ultimum jam commiss̄es, nunquam tibi Deus tam salutaria proposita immis̄set. At verò si pertinaciter peccare pergas, Hagitia flagitiis adjicias, malum signum est, magnāmque habes causam timendi, ne, completâ peccatorum tuorum mensurâ, æternaliter pereas.

9. Seni cuidam Eremitæ (ut tradit Nierenbegius vit. divin. c. 12.) juvenis quidam pacifice convivebat. Vedit, & invidit hoc dæmon transfigurans se in Angelum lucis seniori revelat: Juvenem æternis ignibus destinatum; cohorruit ad hanc vocem seniculus, multisque diebus hac recordatione gravissime crux-

ciabatur. Quod, ut juvenis advertit, importunis precibus tristem extorsit nuntium: quō intellectō, hilariter ac generosè reposuit: Hoc, mi pater, te minimē perturbet: Servio D E O non ut mercenarius pro prōemio, sed ut filius ex officio; quia est, qui est, omni amore dignissimus. Non diutiū DEUS bonum senem affligi est passus, sed nocte sequenti eidem manifestavit: hunc ejus sodalem per hos sinceri amoris aetus apud D E U M plurimū meriti consecutum, & inter prædestinatos ad gloriam conscriptum esse. Sequere & tu præclarum hunc juvenem, ac in sequentem prorumpē affectum.

10. O DEUS, ego amo te, nec amo te, ut salves me, nec amo te ne damnes me, sed amo te, ut amem te, quia omni amore longè dignissimum novi te. Omnes arteriarum mearum pulsus dicant tibi: Sicut voluntas D E I est, ita fiat. Eousque me immergo in tuorum justissimorum judiciorum abyssum, ut si velles me etiam æternis flammis adjicere, vellem & ego id ipsum resolutissimè:

Malo

Malo enim millies, etiam me damnatō, tuam justissimam voluntatem sīnē dis-
plicentia perfici, quām me salvatō, ei-
dem aliquid contrarium fieri. Quia
imō declaro: Si voluntatis tuæ esset, me
hoc temporis momento ab inferni fauci-
bus absorbendum, mēque solum omnes
omnium damnatorum pœnas æternali-
ter sustinere debere, hoc unicum inge-
minare vellem: Sanctissime Pater, fiat
voluntas tua. Tuum beneplacitum præ
millenis cœlis mihi & gratius, & chari-
us est.

E X A M E N.

De signis prædestinationis.

*Quis potest dicere, (verba sunt S. Ber-
nardi in Septua. Ser. 1.) ego de electus sum?
ego de prædestinatis ad vitam? ego de nume-
ro filiorum? quis hæc inquam dicere potest?
reclamante nimis irum scriptura: nescit homo,
utruam amore, an odio dignus sit. Eccl. 9. 1.
His non obstantibus, sunt tamen quæ-
dam prædestinationis signa. quæ si ha-
bes, piè sperare vales, te de electis esse.
Doctissimus Drexelius in suo zodiaco
Christiano ponit ac proponit duodecim.*

Veni, vide an ea in te deprehendas. Sunt sequentia. 1. Lux interna. 2. Animus ad mortem semper paratus. 3. frequens Sacramentorum confessionis & communionis usus. 4. Renuntiatio omnium. 5. Afflictio perpetua, & exercitatio cum patientia. 6. Auditio verbi Dei. 7. Eleemosyna. 8. Vilis sui aestimatio. 9. Inimicorum dilectio. 10. Præteritorum peccatorum detestatio. 11. Voluntatis in bonum propensio. 12. Affectionum moderatio, seu victoria passionum, ac temptationum. Hæc signa electionis si in te invenias, gaude, & tene quod habes: Sin minus pie vivendo ea in te efforma, & sic: *Si non es prædestinatus, fac ut prædestineris.* S. Augustin.

MEDITATIO TERTIA.

De inferno.

Punct. 1. Paucis multa complexus est Job; quando dixit: *Omnis dolor irruet super eum.* c. 20. 22. Irruet super eum omnis dolor capitis, omnis dolor auri-um, omnis dolor oculorum, omnis dolor dentium: Irruet super eum omnis dolor

dolor calculi, stomachi, podagræ, omnis dolor omnium membrorum, omnium verberum, omnium vulnerum: Irruet super eum omnis dolor captivorum, desolatorum, gladii percussorum, suspendi præfocatorum, igne consumptorum: Irruet super eum omnis dolor, qui vel calamô describi, vel ore proferri, vel mente excogitari potest. Hic si patimur, unum tantum mem-
brum, vel si plura, saltē non omnia patiuntur; doles pede, integer est oculus, inquietaris dente, integer est sto-
machus, incommodaris aure, integra est manus, & tamen quantus est dolor uno prædictorum cruciari? Jam finge hominem, qui nec unicum habet mem-
brum à tormentis immuæ, ah! quid posset tali homine miserabilius excogita-
ri! tale quid, imò tali generali malo in-
finitè atrocius aliquid damnati patientur. Sicut nec oculus vidit, quæ Deus præparavit diligentibus se; sic quoque nec auris audivit, quæ Deus præpara-
vit offendentibus illum. Hæc cogita,
& exclama: ah Domine! hîc ure, hîc
seca,

seca, hic crucia, modò in æternum
parcas &c.

Punct. 2. *Ecce ego cibabo populum istum
absyntiō; & potum dabo eis aquam fellis.*
*Jerem. 9. 15. In inferno erit sitis sinè po-
tu, fames sinè cibo, tristitia sinè gaudio,
dolor sinè consolatione, ignis sinè refri-
gerio, omne malum sinè ullo bono.*
*Erit in inferno fœtor detestabilis, fletus
abominabilis, timor horribilis, frigus
intollerabile, vermis immortalis, tene-
bræ palpabiles, miseria ineffabilis, do-
lor æternalis. Erit in inferno societas dæ-
monum sinè divertio: ferocitas draco-
num sinè effugio, crudelitas ministran-
tium sinè clementia, immanitas cæden-
tium sinè intermissione, jactura omni-
um bonorum sinè recuperatione. DE-
UM perdidisse, talis ac tanta est pœna,
ut reliquas sensibiles longè antecedat.
*Hæc cogitans descende in infernum vi-
vens, ne descendas moriens; cogita
quoque periculum in quo versaris, &
quām prouum sit ut eō devolvaris. Mu-
ta vitam, ne pervenias ad omnium mā-
lorum metam. Ardeam, ô ardeam! Do-
mine,**

mine, non inferni, sed amoris tui ignibus, &c.

Punct. 3. Querent homines mortem, & non iuvenerint eam, desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis. Apoc. 9. v. 6. Damnatorum cruciatus non tantum sunt summi, sed etiam perpetui: Cruciantur non tantum per omnem æternitatem, sed etiam singulis momentis cruciat eos æternitas. Semper animo volvunt, atque revolvunt: Hoc omne, & totum, quod hic patior, passurus sum in æternas æternitates. Post milliones annorum non decrevit æternitas. Et hæc unica cogitatio, ac desperatio præ omnibus tormentis discruciat damnatos magis, quam omnis dæmon. Delicatule, vellesne pro imperio totius mundi per annum unius scintillæ ardorem sustinere? certè non. Quæ ergo dementia, pro re nihili amplecti lectum ardenter, in quo torquearis in æternum? momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat. Voluptas transit, manet æternitas, honores fugiunt, manet æternitas: divitiae evanescunt, manet æternitas.

tas. Elige, vel semper lætari cum sanctis, vel semper cruciari cum impiis. Nemini fas est transire à deliciis ad delicias. Patiaris, ne patiaris, hīc ad momentum, ne postea in æternum. O misericordia DEI! miserere mei, adjuva me, ne in æternum perdam te. O Mater DEI! adsis mihi in illa hora, à qua pendet æternitas &c.

¶S(0)¶S(0)¶S(0)¶S(0)¶S(0)¶S(0)¶S(0)¶S(0)¶S(0)¶S(0)

D I E S Q U A R T A.

Virgini Deiparæ, omnium Religiorum singulari Advocatæ, consecranda.

Oratio jaculatoria: *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vita mea Ps. 26. 4.*

MEDITATIO PRIMA.

De dignitate, atque utilitate Religionis.

Punct. i. *Sicut parùm prodest, inquit S. Magdalena de Pazzis monit. spiritus dignit. vocat. Relig. habere margaritam pretiosam, si valor ejus ignoretur; sic exiguus*

guum fructum ex tuo statu Religioso profes-
res, si ejus non cognoscas excellentiam, quia
hujus notitiae defectu non amabis illum, neque
tanti facies, quantum debes. Ut ergo eum
estimare aduiscas, Christi amplissimam
promissionem attendas: *Omnis, inquit:*
qui reliquerit domum vel fratres, aut sorores,
aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut
filios, aut agros, propter nomen meum, cen-
tuplum accipiet, & vitam aeternam posside-
bit. Matth. 19. 28. Haec sunt verba; ait
mellitissimus Bernardus in haec verba,
quæ mundi contemptum in universo
mundo pepererunt, quæ voluntariam
hominibus paupertatem persuaserunt,
quæ claustra Monachis, & deserta Ana-
choretis repleverunt: quæ tot nobiles,
doctos, divites, ac ingenuos adolescen-
tes in monasteria pertraxerunt, qui ca-
men, dum omnia dimiserunt, nihil a-
miserunt, quia centuplum acceperunt,
reliquisti Religiose, unum Patrem, u-
nam Matrem, fratres aliquos, sorores
paucas, iam in Religione tot Patres, tot
Matres, fratres, sorores recepisti, quot-
quot tui Ordinis membra numeras; hi
omnes

omnes te fideliori obsequio fulcent, diligētque, quām insimul omnes, quos propter DEUM reliquisti. Reliquisti unum, aut saltem non multa paterna habitacula, & recepisti tot, quot tui Ordinis recenses monasteria. Reliquisti externa, temporalia, terrena, & recepisti interna, spiritualia, divina. Reliquisti mundi nihilum, & recepisti omnia. DEUS meus & omnia &c.

Punct. 2. Melius est, duos esse simul, quām unum, habent enim emolumendum societatis sua, si unus ceciderit, ab altero fuletur. Eccles. 4. 9. Nihil est in hac misericordiarum valle beatius amicitiā, nullib[us] hæc verior, ac fidelior, quām in Religione. In Religione sunt multi unus, & unus non solus, quia mutua morum, animorumque contemperatione existit in pluribus, ita ut mihi quilibet sit alter ego. In Religione coalescunt diversi homines, ex diversis nationibus profecti, per exactam disciplinæ similitudinem velut in unum: ita ut omnium sit cor unum, & anima una. Act. 4. 32. In Religione cessat meum ac tuum frigidum illud

illud verbum ; sunt enim omnia communia, communis DEUS, communis Regula, communis pietatis mercatura, communis mensa, labor, ac quies. In Religione imperfecti, qui per se alioquin parum grati essent, propter unitatem hoc lucrum habent, quod perfectorum abundantia imperfectorum suppleat, sublevetque inopiam. In Religione est chara unitas, & una charitas, quilibet recipit tot laborum merita, quotquot sunt sui Ordinis membra. O ter, quaterque beatum ad Religionem vocatum ! Domine quid retribuam tibi ? redam tibi vota mea, &c.

Punct. 3. Religio castrum, & vita nostra militia est, parta bonorum operum merita sunt nostra spolia, eaque omnia, ferente sententiam definitivam Davide, omnibus æqualia. *Æqua pars erit descendensis ad prælium, & remanentis ad sarcinas, & similiter divident.* 1. Reg. 30. 24. In cella considens particeps es omnium orationum, mortificationum, concionum, laborum, jejuniorum, vigiliarum, Missarum, &c. quas universus

sus Ordo peragit. Si vides confratrem orantem, laborantem, studentem, &c. cogita horum bonorum operum fructus quoque tuos esse, & sic habes in alio, quod non habes in te, Virginitatem habet quispiam, Virginitas illius & tua est. Tot cordibus DEUM amas, tot linguis prædicas, tot vocibus laudas, quot confratres numeras. Ineffabilem fructum hæc aliena merita cuilibet Religioso conferunt. Si tentatio irruat, illa tibi arma impetrant, quibus muniaris; si propria imbecillitate fluctues, illa efficiunt, ut constans perseveres; si cecideris, illa opem ferunt, ut quantocius resurgas. Magni proinde facias tuæ vocationis beneficium, nam, teste Nazianzeno orat.

23. *Totius vitæ vel rectè vel malè traducendæ fundamentum est. Gaude & lætare te esse Religiosum, &c.*

LECTIO MATUTINA.

De felicitate statûs Religiosi.

1. Nihil diviniùs, nihil præstantiùs, nihil digniùs est, aut fingi potest Ordine Religioso. Religiosi Ordines sunt, teste Climaco, terrestre cœlum: Teste Lau-

Laurentio Justiniano, terra sancta: Teste Bernardo, munitissimæ DEI arces: Teste Damiano, Chorus Angelicus: Teste Nazianzeno, Ecclesiæ pars selec̄tior: Teste Antonino, scala Jacob, cuius gradus lectiones, meditationes, mortificationes. Religiosi sunt, glossat Thomas Le Blanc. in Psal. 21. v. 16. Cor Christi, qui sunt intimi in corpore Christi, quod est Ecclesia. Religiosi sunt, scribit S. Theresia Itin. perfect. c. 12. Martyres, & vita ejus, qui vult esse ex strictis servis DEI, est longum Martyrium. Religiosi sunt, docet divus Thomas 22. q. 36. a. 3. holocaustum perfectissimum, quia se totaliter Deo obtulerunt. Religiosi sunt, ait Cajetanus in cap. 15. Exod. Res divinæ, quia res Deo oblata in divinum translata est ordinem. Sunt militantis Ecclesiæ subsidium, quia eandem propagare, ac propugnare non cessant; sunt mundi refugium, quia eundem suis precibus sustentant & conservant; sunt homines cœlestes, & Angeli terrestres, quia mundo mortui, suam conversationem in coelis habent.

2. Christus Dominus Religiosum statum suâ personâ fundavit, & sanctificavit, docente Nazianzeno orat. in Laud. Basil. Religiosi Nazaræi sunt, de Christo autem scriptum est. Matth. 2. 23. *Quoniam Nazareus vocabitur.* Religiosum statum Beatissima Virgo suâ vitâ sublimavit & informavit: *Vovi in corde meo* ait ad S. Brigittam, *si esset ei (Deo) acceptabile servare Virginitatem, & nihil anquam possidere in hoc mundo, si aliter vellet DEUS, fieret voluntas ejus, & non mea.* Religiosum statum suô exemplô ornaverunt & condecoraverunt Apostoli; hi enim omnia relinquentes, Christum sequentes, Evangelica consilia perficientes, & ad perfectionem Religiosam tendentes unâ cum Christo suo Prælato perfectam monasticæ vitæ normam mundo præbuere. Sunt ergo Religiosi cives sanctorum superædificati super fundamentum Apostolorum. Docet S. Chrysostomus l. 3. contra monast. vit. vituperatores: Ecclesiam DEI fuisse initio velut monachalem Religionem, & Apostolos duxisse vitam Religiosam, nihil

hil habuisse proprium , & vixisse in com-
muni unanimiter in oratione , Actor . 4 .
Imò emisisse vota Religionis , ex Suarez-
zio & aliis probat Thamburinus de jure
Abbat . Tom . 1 . disp . 2 . q . 3 . & 4 . quos
citat Colleg . Jur . Canon . Tom . 2 . l . b . 3 .
tit . 3 1 . de Regularibus . § . 1 . Et sic Reli-
gio est locus sacer , Collegium Apostolicum re-
presentans . S . Magdalena de Pazz . de di-
gnit . vocat . Relig .

3 . Est itaque Religio regia ad cœlum
via , nescit sæcularia impedimenta , &
habet spiritualia adjumenta . DEUS Pa-
ter ipse met S . Catharinæ Senensi reve-
lavit dial . c . 155 . & alibi : *Religio est velu-
ti navicula secura pro recipiendis animabus ,
qua currere volunt ad perfectionem , ut eas
ratissime perducat ad portum aeternæ salutis .*
*Hujus naviculae patronus est Spiritus Sanctus ,
pastores tenent gubernaculum . Ista navicula
dives est , quia non expedit alicui subdito co-
gitare de suis necessitatibus , neque spirituali-
bus , neque temporalibus , quia si est verus
obediens , bene sibi providetur a Spiritu San-
cto , patrono naviculae . Imò Religio majus
bonum est , quam potestas cœcos illumini-*

nandi, infirmos sanandi, dæmones expellendi, mortuos resuscitandi; nam illa hæc omnia spiritualiter præstat: Illuminat ubiq[ue]catas mentes, sanat infirmam animam, expellit ab ea peccatum, dæmonem illum voluntarium, resuscitat in eadem Christum Dominum, cùm sit status quoad deperditionem vitiorum, acquisitionem virtutum eminenter excellentissimus. Hinc S. Laurentius Patriarcha venetus, Sur. in vit. tom. 1. dixisse fertur. *Consultò DE US gratiam Religionis hominibus occultavit: Nam si cognosceretur illius felicitas, omnes ad eam concurrenerent.*

4. In Religione exuitur vetus Adam, & induitur Christus; Professores enim & amatores suos, verba sunt S. Bernardi lib. de præcept. & dispens. Angelis similes, dissimiles hominibus facit. Imò divinam in homine reformat imaginem, configurans nos Christo instar baptismi, & quasi denique secundo beatizamur, dum per id, quod mortificamus membra nostra, quæ sunt super terram, rursum Christum induimus, complanati demò similitudini mortis ejus; de tenebris

*bris enim aquæ non unius Originalis, sed mul-
torum actu ilium peccatorum in lumen vir-
tutum evadimus. Unde unus ex antiquis
Anachoretis idem gratiæ signum & in
baptizandum, & in eum, qui Religio-
nis habitum induit, è cœlis vidit visibi-
liter descendere.*

5. Peculum, thesaurus, ac familiares domestici DEI Religiosi sunt, hos in proprios assumpsit, & singulari cura tuetur. Cùm Franciscus Ordinem à se fundatum, (inquit Platus de bon. stat. Relig. l. 1. c. 33.) jámque etiam latius propagatum omni deinceps disciplina, & sanctitate excolere pergeret, quoties aliquid adversi eveniret, aut postea eventurum, DEO monstrante, cognosceret, sic eum accepimus commoveri solitum, ut dolore ac lachrymis pœnè conficeretur. Itaque oranti aliquando, suámque familiam DEO suppliciter commendanti, hæc ipse Dominus ad eum consolandum respondisse dicitur : *Quid turbaris Francisce, aut quid ange-
ris, cùm tuorum fratrum quispiam, vel
Ordinem deserit, vel in Ordine scanda-*

lum concitat? an fortè existimas, te ita rectorem hujus gregis constitutum, ut non me intelligas superiorem ejus esse rectorem? quis eum plantavit, nisi ego? aut quis præter me homines ad pœnitentiam vocat, vel vocatis perseverandi vires suppeditat? ego eos perduxi, ego retinebo & servabo, ego illis cadentibus alios erigam, atque substituam. Quamobrem hoc tibi planè præcipio, ne te imposterum adeò discrucies, sed scias hanc familiam à me diligi, ac si unus ad vomitum redeat, me in ejus locum alterum excitaturum, qui illius coronam accipiat, íisque si nondum natus fuerit, effecturum, ut nascatur, quòd si tres tantùm in ea permanserint, eos ipsos nunquam deseram, sed erit hæc semper familia mea. O quàm indignus sum hoc ordine à DEO tam dilecto.

6. Singularis DEI providentia Sera-phicum nostrum Ordinem semper protexit, singulare est in hoc Ordine, inquit Laurentius Beyrlinch in Theatr. V. *Religious*, quòd nulla unquam Religio, ab hominibus inventa, tam brevi tem-

tempore tanta incrementa cœperit, quanta hic Ordo, qui unō pœnè momentō totum mundum cum admiratiōne hominum complevit. Et Cornelius à Lapide in c. 5. Matth. affirmat : Et sanè magni & continui instar est miraculi, videre tot Religiosos, & Religiosas Ordinis sancti Francisci (sunt facile toto orbe decies centena millia) paupertatem professos, sinè censu, sinè redditu, honestè tamen & commodè ex fidelium eleemosynis vivere : Nimirum hic elucet D E I erga suos pauperes providentia. Hic impletur illud Psalmis, quod sanctus Franciscus suis profecturis pro viatico dabat : *Jačta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.* Psal. 54. 22. Et illud : *Divites eguerunt & esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* In Hispania Franciscano cuiquam nomine sancti Francisci petenti eleemosynam nullus audet negare sed omnes, omnes liberaliter sua offerunt : Idem faciunt aliæ nationes Christianæ. Huc usque Cornelius.

7. Excipe casum ex nostris Chronicis

G 3

(p. 2.)

(p.2.l. 9.c. 36.) planè mirabilem : Conjuraverant certi Prælati contra Seraphicam Religionem , eāmque evertere decreverant. Discesserat unus eorum Episcopali dignitate præeminens cum talis proposito ad concilium celebrandum. Erant ibidem in quadam Ecclesia Collegiata imagines divisorum Pauli Apostoli , & Patris Francisci depictæ. Nocte , diem illum præcedente , quo Episcopus Ordinem Seraphicum denigrare decreverat , Ædituus , cui illius Ecclesiæ cura commissa fuerat , in visione Paulum sic Francisco loquentem audivit : Cur , ô Francisce , Ordinem tuum non defendis ? cui respondit , quid agam ? crucem Domini mei in manibus gero , oportet ut injurias patienter tolerem. Retorquebat S. Paulus : Ne illatas injurias impunè permitte , trade mihi tuam crucem , & ensem meum arripe. Quid fatus ? reperit Ædituus de mane Franciscum Pauliensem , & Paulum Franciscum crucem in manibus portare. Ædituus hoc miraculō , totus extra se raptus , audivit Episcopum , Seraphici Ordinis hostem ,

stem, eadem nocte capite plexum esse, tunc quid viderit, quid audierit omnibus recensebat, & ad confirmandam dictorum suorum veritatem picturas ostendit, in quibus omnes intueri poterant effigiem S. Francisci cum gladio divi Pauli sanguine undique perfuso.

8. Ais: Si ita est, si Religio tantæ dignitatis, utilitatis, ac felicitatis est, si est quoddam cœlum terrestre, si omnibus bonis circumfluat; ut quid ergo in hac tam sublimi, ac felicissima professione tot tristes melancholici, imò & Apostatae inveniuntur? amabo, aliquidne dulcedinis defuit mannæ Israëlitis de cœlo missæ? certè non, ait enim de illa sacer textus Sap. 16. v. 20. *Angelorum escâ nutriti populum tuum, & paratum panem de cœlo præstitti illis sine labore, omne deliciamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem.* Cur ergo contra Dominum murmurantes, carnes appetierunt? respondet S. Augustinus: Non omnes, sed tantum justos Israëlitas miraculam in Manna reconditam dulcedinem percepisse: Cæteris autem hic cibus

nauseam potius, quam savitatem causavit. Simillime tantum boni Religiosi hujus Angelici statu gaudia participant, nullo modo autem mali, respicientes Ægyptum, id est: mundum à se relictum, quod quoad alios non impedit securam Religionis savitatem.

9. Et hinc Carolus quintus, Orbis illud miraculum, (Engelgrave de com. confess.) dicere solebat: se in secessu illo ad S. Hieronymi monasterium plus uno die liquidæ voluptatis & gaudii percipisse, quam ex omnibus aulæ deliciis, victoriis ac triumphis. Cellæ sunt quædam prælibatio cœli. Cellæ & cœli habitatio cognata sunt, inquit eximius ille vitæ Religiosæ encomiastes S. Bernardus, vel quisquis est Author tractatûs de vit. sol. ad fratres de monte Dei, *Quia sicut cœlum & cella ad invicem videntur aliquam habere cognitionem nominis, sic & pietatis. A cœlando enim cœlum & cella nomen habere videntur, & quod celatur in cœlis, hoc & in cellis, quod geritur in cœlis, hoc & in cellis, quidnam est hoc? vacare D E O, quod cum secundum Ordinem piè & fideliter celebratur in cel-*

in cellis, audeo dicere: sancti Angeli DEI celas habent pro cælis, & æquè delectantur in cellis ac in cælis. A cella in cælum sapè ascendiatur, vix autem unquam à cella in infernum descenditur.

E X A M E N.

De Religiosa modestia.

Omnibus, specialiter autem Religiosis, Apostolus præscripsit Philip. 4. ¶. 5. *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Et Seraphicus noster parens c. 3. Reg. Vult ut sui instituti imitatores sint mites & pacifici, modesti, mansueti, & humiles, honestè loquentes omnibus sicut decet. Mi Religiose penitus tuos inspexi mores, & ecce! inveni te totius in honestatis compendium. Sensus habes minimè custoditos, es levis in actione, præceps in locutione, curiosus in oculorum circumvolutione, inquietus in membrorum agitatione, immoderatus in commestione, dissolutus in omni conversatione. Hæc cine decent Religiosum, in quem oculi omnium? est tibi familiare, aliis videntibus, fricare caput, in sedendo

pedem pedi superponere , digitos nari-
 bus inserere , extremitates chordæ aut
 Rosarii in orbem agitare , clamorosè , &
 impertinenter loqui , &c. Parce , quæso ,
 honori Ordinis , si propter te non velis
 erubescere. In incessu nimium festinas ,
 in vestitu singularitatem amas , in vul-
 tu mirabiles diductiones formas , in col-
 loquio hinc inde caput circumagitas &c.
 An hæc imaginem sanctissimi tui Patris
 referunt , qui tantæ erat modestiæ , ut
 ejus conversatio pro concione habere-
 tur? Audi vocem ejus: In nomine Do-
 mini , inquit , ite bini & bini per viam
 humiliter & modestè , & maximè cum
 stricto silentio à mane usq[ue] ad tertiam ,
 orantes Dominum in cordibus vestris.
 Verba otiosa , & inutilia non nominen-
 tur in vobis : Licet enim ambuletis , ta-
 men conversatio vestra sit ita humilis &
 honesta , sicut si in cella essetis. Nam ubi-
 cunque sumus & ambulamus , habemus
 semper cellam nobiscum ; frater enim
 corpus est cella nostra , & anima est Ere-
 mita. Talis sit conversatio vestra inter
 gentes , ut , quicunque vos audiet , vel
 vide-

videbit, gloriosum Patrem cœlestem, & DEUM laudet devotè. Wading. in opusc. sancti Francisci. Collat. 22.

MEDITATIO SECUNDA.

De utilitate statūs Religiosi.

Punct. I. Religiosissimus Propheta David, immensa Religionis bona consideravit, & exclamavit Psal. 132. I. Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum. S. Hieronymus advertit hunc Psalmum propriè monasteriis convenire. Consideremus itaque istud quam bonum enucleatiùs cum Bernardo, de bon. Relig. hom. de quærent. bon. Marg. in Religione sancta inquit, homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautiùs, irroratur frequentius, quietus securius, moritur confidentius, purgatur citius, remuneratur copiosius. Vivit purius, quia per professionem, velut alterum baptisma, à peccatis in sœculo commissis emundatur ; quia per Sacramentorum frequentationem, librorum spiritualium lectionem, superiorum directionem, perfectius in virtutis studio stabilitur ;

litur; quia per observantiam obedientiae paupertatis & castitatis à peccatorum labo magis elongatur. Cadit rarius, quia non habet tot exempla ad peccandum; quia per quotidianas meditationes, & examina conscientiae, melius cognoscit gravitatem peccati; quia pericula peccatorum, quibus mundus plenus est, effugit. Surgit velocius, quia exemplis domesticis, quae in dies videt, erigitur; quia superiorum, tanquam spiritualium medicorum ope, sublevatur; &, quia fervore conviventium accenditur. Eja surge velociter, semper ascende altius, horum fructuum eō uberiorū participes fies, quod amplius tibi vim intuleris.

Punct. 2. In Religione homo incedit cautius; lapsus enim in saeculari statu admissi dolentem docent, quam cautè sit incedendum; futurorum consideratio suadet jacula prævisa evitare; & qui Deum amat, omnia considerat; ne eum offendat. Irroratur frequentius; tum quia ad gratias recidiendas est magis dispositus; tum quia divinam gratiam melius custodit; tum quia, qui propter Deum omnia reli-

reliquit, meritō quoque erga se DEUM liberaliorem experitur. Quiescit *secundus*, qui sœcularia desideria calcavit, ab omnibus se curis mundanis enodavit, & per votum paupertatis jugem animæ suæ requiem procuravit. Oculata superiorum providentia eximit eum ab omni solicitudine. *Aſperum, & dura ſervitutis pondus eſt*, ait S. Gregorius l. 30. Moral. c. 12. *ſubeffe temporalibus, ambire terrena, retinere labentia, velle ſtare in non ſtantibus, appetere tranſeuntia, ſed cum tranſeuntibus nolle transire.* Domine quid ultra petam, tu ſolitus es mei &c.

Punct. 3. Monasterium mons Thabor eſt: *Domine bonum eſt nos hic eſſe.* Lu. 9. 33. Hic homo moritur *confidentius* propter multitudinem bonorum operum in Ordine factorum. A cella eſt facilis ascensus ad cœlum; Religiosis enim specialiter Regnum cœlorum promiſum eſt, iure & meritō paupertatis. S. Bernardus Epist. 28. Purgatur *citius*, tum quia Religiosa vita eſt ſatisfactio perpetua: Tum quia post mortem ferventioribus & frequentioribus ſuffragiis suo-

rum confratrum adjuvatur ; tum quia
Religio plurimis indulgentiis abundat.
Remuneratur *copiosius*, eò quòd in Re-
ligione plura , quàm si mansisset in sæcu-
lo , merita sibi congreget , glorioissimè
de carne, mundo, & diabolo triumphet,
& opus ex voto factum majoris sit valo-
ris , quàm si sinè eo factum esset. O sub-
limitatem Religiosorum planè felicissi-
mam , ubi sœculares cum timore & tre-
more ultimum judicium exspectabunt ,
ibi Regulares cum Christo Judice or-
bem terrarum judicabunt. *Amen dico*
vobis , ait Salvator Matth. 19. 28. quòd
vos , qui secuti estis me , in regeneratione ,
cùm sedenter filius hominis in sede majestatis
suæ , sedebitis & vos super sedes duodecim , ju-
dicantes duodecim tribus Israël. Agnosce
vocationis tuæ beneficium , alias , qui
vocantis gratiam non agnoscit , indi-
gnum se vocationis fructu constituit.
Unde mihi hoc Domine , ut me vocares
in societatem filiorum tuorum &c.

LECTIO VESPERTINA.
Regulam Religiosis Religiose
esse observandam.

1. Religiosorum Regulæ, ab Ecclesia approbatæ, sunt quædam derivations divinæ ac radii ipsiusmet legis æternæ. Omnes Regulæ, revelavit Dominus suæ famulæ S. Brigittæ l. 7. Revel. c. 20. Quas amici mei incœperunt, aliosque omnes efficaciter docuerunt, & porrexerunt, non fuerunt dictata & composita ab illorum intellectu, & humana sapientia, sed aspiratione ejusdem Spiritus Sancti. Et in specie de nostra Regula addit: Istius Francisci Regula, quam ipse incœpit, non fuit dictata & composita ab ipsis humano intellectu, & prudentia, sed à me secundum voluntatem meam, quodlibet enim verbum, quod in ea scriptum est, à Spiritu meo fuit sibi aspiratum, & postea aliis Regulam illam protulit & porrexit. Huic Brigittinæ revelationi adstipulantur summi Pontifices (Wading. Tom. I. Ann. 1223. n. 13.) Gregorius nonus, Nicolaus quartus, Clemens quintus, Julius secundus, Nicolaus tertius, cujus verba sunt in exposit. Reg.

Hæc

Hæc est Regula sancta, quæ Evangelicè fundatur eloquio, vita Christi roboratur exemplò, fundatorum militans Ecclesia Apostolorum ejus sermonibus actibusque confirmatur. Hæc est apud DEUM Patrem munda & immaculata Religio, quæ descendens à Patre luminum per ejus Filium exemplariter & verbaliter Apostolus tradita, & demum per Spiritum Sanctum B. Francisco & eum sequentibus inspirata, totius in se quasi continet testimonium Trinitatis. Hæc est, &c. Et planè ipse Institutus (Wading. ubi supra num. 14.) non dubitavit asserere: Regulam fratrum minorum librum esse vitæ, spem salutis, arrham gloriæ, medullam Evangelii, viam crucis, statum perfectionis, clavem Paradisi, pactum fœderis æterni.

2. Hinc, cum quidam S. Patris socii (Wading. ibid. n. 10.) minoris, quam par erat, Regulam ab eo traditam facerent, Francisco ingemisceente, in lucida nube super eum Christus Dominus apparuit, qui, audientibus cunctis, dixit: Homuncio, quid turbaris, quasi tuum hoc opus esset? tunè Legislator?

tunc

tunc hujus vitæ Præceptor? nonne omnia Regulæ præcepta à me præscripta? nonne tabulæ hæc à me formatæ? tu duntaxat tenue hujus operis instrumentum, & calamus scribentis. Novi ego quid dictaverim, novi quid velim præcipere, vires humanæ mihi compertæ, scio quid possint, & quantum ego valeo, & volo præstare subsidium. Volo proinde ut Regula hæc observetur ad litteram, ad litteram, ad litteram, sive glossa, sive glossa, sive glossa. Si ergo nolunt isti observare, deturbatis tanquam discolis & rebellibus ex hac sodalitate, illorum loco alios substituam, & si opus fuerit, noviter nasci & oriri faciam, atque de lapidibus istis, sinceros hujus instituti sectatores resuscitabo. Ad ungues itaque & quam strictissime observanda est Regula: Tum quia Deus ipse eam dictavit: Tum quia illam servare solemnni voto promisisti; Tum quia per eam tanquam canalem divinæ gratiæ in te derivantur: Tum quia ab ejus observantia tua dependet perfectio; Tum quia te vel servata salvabit, vel neglecta damnabit.

3. Chor-

3. Chordæ tuæ nodos intueor, & in
 iisdem tua vota considero, tēque cum
 Davide Psal. 15. 6. cantantem audio:
Funes ceciderunt mibi in præclaris. Ultique
 in præclaris; periculosiori enim infirmi-
 tati, ac inconstantiæ tuæ medentur, te
 svaviter adigunt, ut facias millena bona
 opera, animæ tuæ proficia, quæ sinè
 votis, nec voluisses, nec fecisses. Hi fu-
 niculi te quām firmissimè constringunt,
 ut quasi necessariò debeas benefacere.
Felix necessitas, quæ ad meliora compellit. S.
Augustin. Epist. 45. felix necessitas,
 quæ te evehit ad dignitatem sponsæ
 Christi, his funiculis, tanquam annulō
 sponsalitiō, Christo copularis; ita ut
 præ reliquis Christianis, quantus,
 quantus es, DEI sis, & sinè sacrilegio
 tuam voluntatem amplius sequi non
 possis. *Ama vota tua* ait S. Magdalena de
 Pazzis Monit. spirit. de trib. vot. tan-
 quam funiculos unionis tua cum DEO, tan-
 quam viam te conducentem ad cœlum, tan-
 quam medium, quò potes magnopere honorare
 & glorificare DEU M. Si animæ tuæ ob-
 strictam, quam mediantibus tribus vo-
 tis,

tis, contraxit cum Deo unionem, perspectam haberes dignitatem, eodem modo te gereres, quo paupercula rustica, quam magnus Rex sibi desponsasset, quæ sibi dedecori duceret, si ei suæ nativitatis in memoriam reduceretur abjectio: Sic similiter tu qui per tua tria vota Regi cœli desponsatus es, cogitationes sæculi, ex quibus te DEUS extraxit, sanctâ debes superbiâ contemnere. Pluris facias obedientiam, & vitam Regularem, quam altissimam contemplationem, eò quod omnes actus Religions sint ordinati, & regulati à Spiritu Sancto, & eos adimplens certus sis, te explere voluntatem DEI: Verum hanc certitudinem non habes in aliis tuis exercitiis particularibus quamvis sanctis & bonis. Hæc Sancta sancte, & quid tu?

4. An sancte & stricte observas Regulam tuam? utique inquis, sed cum sale discretionis. Minima quæque servare pertinet ad Novitios, Neo-professos, & juniores; ego autem Superior sum, Lector sum, Senior sum, multis occupationibus distentus sum, est ha-
ben-

benda ratio personarum. Itane sic stulti estis (ignoscite, non ego loquor, sed Apostolus ad Galat. 3. ¶. 3.) ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini? Officialis es, transeat, quid tum? an ideo non Religiosus, & à rigore Ordinis exemptus? nîl minùs. Sed ideo ad maiorem observantiam & perfectionem teneris. Dixisti: tibi cum sale discretionis Regulam observandam esse, ubi hoc scriptum est? ais: Sanctus Institutio non fuit vitricus, sancta Religio non est noverca, Regula observanda est in sano sensu. Sanctus Fundator non fuit vitricus, concedo, at fuisset, si tuas sensuales discretiones admisisset. Religio non est noverca, verum est, esset autem, si passim tuas laxitates approbaret. Regula est observanda in sano sensu, quis dubitat? at sanus sensus est, eam observare sancte, sinè glossa, sinè tua palliata discretione, sinè dispensatione, integrè ad litteram. Ferat in hac resententiam, qui venturus est, judicare vivos, & mortuos.

5. Hic strictissimæ observantiæ nobis for-

formam præscripsit, dum dixit: *Nolite
putare, quoniam veni solvere legem, aut Pro-
phetas, non veni solvere, sed adimplere. Amen*
*quippe dico vobis, donec trans̄it cœlum &
terra, Jota unum aut unus apex non præter-
ibit à lege, donec omnia fiant.* Matth. 5. 17.
17. In quæ verba S. Augustinus. lib. 1.
de ser. Dom. c. 15. Inter litteras Jota mi-
nor est ceteris, quia uno ductu fit, apex eti-
am ipsius aliqua in summo particula, quibus
verbis ostendit, in lege ad effectum minima
quæque perduci. Nunquam integrè, &
perfectè Regulæ præcepta majora obser-
vabit, qui passim negligit minora; leves
enim defectus disponunt ad transgressi-
ones majores, per quas Ordinis discipli-
na paulatim dissipatur. Unde B. Magda-
lena de Pazzis, DEO revelante, didice-
rat. 4. p. vit. c. 14. Inter quinque res
petendas pro conservando quovis Ordi-
ne, hanc quoque rem perpetuò implo-
randam esse, ut omnes Religiosi perfe-
ctè cognoscant, quanti momenti sit san-
cta Regulæ quamlibet rem minimam
observare. Ubi maximâ curâ observan-
tur Regulæ minimæ; ibi est certior dia-
bolus

boli exterminatio , perfectior vitiorum extirpatio , amplior à DEO benedictio , verior Religiosorum perfectio , atque arctior inter ipsos dilectio .

6. Appositè ad rem S. Anselmus Epist. ad Monach. Cister. *Si de virtute in virtutem , de profectu in profectum vultis ascendere , semper timete in minimis DELIM offendere . Non debetis considerare , quam parvas res , quam contra prohibitionem facitis , sed quantum malum sit inobedientia , quam pro parva re incurritis . Aurifabri exigua aurifragmenta , pulvisculosque abrasos colligunt , atque ex iis probè collectis , non levem tandem pretiosi metalli massam conflant : Sic & tu minimas Regulæ admonitiones , tanquam pretiosissimas margaritas , collige , quibus animam ornes , Deoque gratum habitaculum præpares . Non ideo , asserit S. Paulinus Epist.*

26. ad Amandum . *Margarita viliis est , quia exigua , sed ideo magis pretiosa , quia in exigua mole magnum pretium habet . Jam subintrad S. Bernardus Hom. de Margarit . Status Religiosus Margarita est Evangelica , pro qua universa D E O dare debemus .*

Nec

Nec tantum status in se, sed etiam quælibet Regulæ functiones. Pro his Margaritis cœlum venale est, non acceptabit à te D E U S aliud pretium quamvis dederis totius mundi thesaurum.

7. Gratissimam D E O hostiam offeres, si minima quæque in Regula observes. Videbantur Institutori nostro (Plat. de bon. stat. Relig. lib. I. cap. 25.) tum ipse, tum socii ejus fame admodum afflitti, nec aliquid habere, quō se & illos reficeret, præter panis micas, cūmque micas tam subtilissimas distribuere formidaret, ne fortè inter manus exciderent, vox de super ait. Francisce, unam de micis hostiam facito, & manducare volentibus tribue. Id agens, advertit, eos, qui eam contemnerent, statim turpissimâ leprâ operiri. Cūmque postea mysterium visionis non intelligeret, hujusmodi vocem de cœlo delapsam audivit: Francisce, micæ præteritæ noctis verba Evangelica sunt, hostia Regula, lepra iniquitas. Est ergo Regula hostia, quam si contemnas, pro ratione materiæ lepram peccati aut mortalis, aut venialis

nialis incurris. Si ex contemptu formalis legis legem transgrediaris, & ideo Regulam servare nolis, quia præcipientem contemnis, & ex affectu indignationis erga Legislatorem præceptum frangas, mortaliter peccas, contemnis enim ipsammet potestatem legislativam à DEO datam, ac ordinatam, qui contemptus utique in DEUM gravissima injuria est. Dilucidè id demonstrat Apostolus dicens Rom. 13. 2. Non est potestas nisi à DEO, quæ autem sunt, à DEO ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, DEI ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Accedit S. Bernardus lib. de præcept. & dispens. dicens, ac docens : *Contemptus in omni specie mandatorum pari pondere gravis, & communiter damabilis est. Sive enim DEUS, sive homo vicarius DEI mandatum quodcumque tradiderit, pari profecto obsequendum est curâ, pari reverentia deferendum;* ubi tamen DEO contraria non precipit homo. Potesne Regulam à DEO inspiratam, sæpè ac liberè etiam in minoribus transgredi, quia eam non contemnas?

8. Observa ergo Regulam, & in ea etiam minima; nam docente Doctore Seraphico in specul. discip. ad Novit. in Prolog. *Minima neglecta eò turpius moribus maculam ingerunt, quò vitari facilius cognita potuerunt.* Observa Regulam, & sinè contemptu; nam, dicente Glossa, aliud est contemnere, aliud non parere. Consilio sinè culpa non paretur, sed non sinè culpa contemnitur. In c. quis autem d. 10. Observa Regulam & sinè Glossa, admonente nostro JESU Characteribus insignito Patre in testamento: *Non mittant glossas in Regulam, dicendo: Ita voluit intellegi, sed sicut Dominus dedit mihi purè, & simpliciter dicere, & scribere Regulam & ista verba, ita simpliciter & purè sinè glossa intelligatis, & cum sancta operatione observetis usque in finem.* Observa Regulam & sinè dispensatione: Nam primus noster Minister Generalis ex Observantium familia assumptus, coram S. Romanæ Ecclesiæ Legatis, & universo Ordinis cœtu suorum nomine in hunc modum proloquitur. (Gonzaga pag. 30.) *Quantum in nobis est, sicut nec unquam ab hujusmodi*

Regulari modo vivendi recedere quæsivimus,
 ita nec, quam diu nobis sana mens fuerit,
 ab eo deflectere queremus. Observa Regu-
 lam, & integrè. Tua quotidiana tesse-
 ra sit illud piissimi cuiusdam Religiosi
 acroama: *Disrumpar potius, quam ullam*
Ordinis mei Regulam deliberatè transgredi-
ar. Tua Regula est regia ad cœlum via,
 non declines neque ad sinistram, neque
 ad dexteram, per hanc, & non per ali-
 am, vult te DEUS ducere ad cœlestem
 Patriam.

E X A M E N.

De Regulæ Observantia.

Civitas DEI Ordo Religiosus est.
Ponetur in ea murus, & antemurale. Isaï.
 26. v. 1. Quod fortificationes confini-
 is & regioni, hoc sunt Regulæ, Ordini,
 & Religioni. Diabolus semper nobis in-
 sidiatur, & quasi rupto murō hostis ingredi-
 tur, cum disciplina monumenta dissipantur.
 S. Gregorius I. 20. Moral. c. 20. sicut
 Gubernatores commissa sibi loca solici-
 tè defendunt; ita & tu murum, & au-
 temurale, Regulam & statuta quam
 exactissi-

exactissimè observes. An gratus es DEO, quòd tibi certam vivendi formam, ac normam præscripserit? tuo fundatori quām devotus es? quanti facis tuam Regulam, cuius observantia tot sanctos ad cœlum perduxit? legisne eam sæpiùs cum reflexione ad te ipsum? perpendisne quòd tua Regula sit lex DEI, ac ejus sanctissimæ voluntatis expressio, secundūm quam te vivere cupit? an minima etiam in maxima habes existimatione? qualem aurem præceptis, qualem admonitionibus præbes? an veneraris eas ut vocem Patris tui? quo in loco sunt apud te statuta, & Ordinationes capitulorum? an non despicias, quæ tibi non placent? Si parvæ pendas constitutiones & ordinationes sacrae Religionis tue, quamvis parvæ sint, Monachus non es. Ludovic. Blotius in spec. Mon.

MEDITATIO TERTIA.

De perfectione Religiosa.

Punct. I. Ambula coram me, & es lo perfectus. Genes. 17. I. Totis viribus ad perfectionem tendere invitat, allicit, &

impellit nos ipsa perfectionis pulchritudo; placet namque illa in omnibus, perfectas vestes, perfectam sanitatem, perfectum corpus habere volumus, quidni & perfectam animam? omni alia pulchritudine pulchrior est perfectio mentis; cum enim nec nobilior sit materia, quam anima, nec præstantior forma, quam sanctitas, necesse est ex utroque divinum quiddam existere. Ordo Religiosus est status Angelicus, quod Angelii in cœlis, hoc tu facias in cella: Illi non cessant à laude Trinitatis, nec tu à studio perfectionis, & operibus pietatis. Propriè loquendo non habes aliud in Religione agendum, quam ut profectui tuo spirituali invigiles, hoc est tuum maximum, summum, & unicum negotium. An eidem ita intendis, ut venienti Domino aliquando dicere possis: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum? Omne tempus perditur, quod huic lucro non impenditur. Heu me! quam parum huc usque, &c.

Punct. 2. Si vis perfectus esse, vade, &
vende

vende omnia quæ habes, & da pauperibus,
& habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere
me. Matth. 19. 21. Bene ad propositum
Bernardus in sentent. Christiani a Christo
nomen acceperunt, & opera pretium est, ut
sicut sunt heredes nominis, ita sint imitato-
res sanctitatis. Omnibus hæc intiman-
tur: jam in qualitate christiani ad Evan-
gelicam perfectionem obligaris, ad quid
ut Religiosus? per omnem modum tua
professio est, quam strictissime sequi
Christum. JESUS proficiebat sapientia, &
atate, & gratiam apud DEUM, & homines.
Luc. 2. 52. Erat perfectissime perfectus,
si vis perfectus esse, sequere, profice. Il-
le fuit totius obedientiæ, paupertatis &
castitatis exemplar, sequere, dilexit ini-
micos, & pertransiit benefaciendo, o-
mnes sequere studet scholaris, & fit
doctior, peregrè proficiscitur mercator,
& fit ditior, exercet suam artem pictor,
& fit peritior, tu, ut fias perfectior, JE-
SUS sequere. Ad ipsius vitam corri-
tuam, cave defectus, ut fias perfectus.
Simus ut Christus, quoniam Christus quoque
sicut nos: Efficiamur Dii propter ipsum, quo-

niam ipse quoque propter nos homo factus est.
Gregor. Nazianzen. orat. 40. in Pasch.
O J E S U mi dilecte, fac amem te per-
fectè, &c.

Punct. 3. *Estote ergo vos perfecti, sicut*
& Pater vester cœlestis perfectus est. Matth.
§. 48. *Summa rationalis creaturæ per-*
fectio est, principio suo, quatenus licet
assimilari, & quò erit illi similior, eò
quoque erit perfectior. Ut semper possis
ad majorem, & majorem perfectionem
tendere, poteris suô modô ipsius D E I
perfectionem intendere. Ais: Ut quid
tam sublimis homini perfectio præcipi-
tur, ad quam tamen pertingere nun-
quam poterit? ne desperes, magnum
hoc mandatum adimples, dum semper
majori & majori perfectioni studies. Præ-
figitur tibi ipsius D E I perfectio, cui te
conformes, ut nunquam te præfixam
perfectionem comprehendisse cogites.
Qui est justus, justificetur adhuc, & sanctus
sanctificetur adhuc. Apoc. 22. 11. Ecce!
non solum ad sanctitatem, sed etiam ad
omnis sanctitatis perfectionem obliga-
ris. Religiosus non est, qui sanctitatis

can-

candidatus non est. Ubi ad cœlum ascen-
dere desit, ibi ad inferiora descendere
incœpit. Magni Augustini assertum
est: Epist. ad Demetriad. *Tam diu non re-
labimur retro, quamdiu ad priora contendi-
mus, nostrumque non progredi, reverti est.*
Cùm enim secundùm animæincremen-
tum terminum non habeas, sed totâ vi-
tâ in virtutibus crescere valeas, necef-
se est, ut te semper imperfectum cogno-
scas, & ad anteriora extendas. Domi-
ne, transforma me totum in te, perfice
me, ut omnia agam secundùm te, &c.

DIES QUINTA.

Angelo tuo Custodi consecranda.

Oratio jaculatoria: *Quæcunque vovi, red-dam pro salute Domino.* Jonæ 2. 10.

MEDITATIO PRIMA.

De Obedientia.

Punct. i. Pessimam mundi triadem
S. Joānes describit, dicens i. Epist.
a. 16. Omne quod est in mundo, concipi-
H 4 scen-

scentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vita. Tribus hisce malis tria Religionis vota opponuntur, concupiscentiae carnis seu delectationi, castitas: concupiscentiae oculorum seu divitiis, paupertas: & superbiae vitae seu vanæ gloriæ, obedientia. Verum enim verò, excellentissima gloria est hanc vanam gloriam obediendo contemnere, obediendo similes reddimur Angelis Dei, qui sunt ministri Dei ad faciendam voluntatem ejus paratissimi: Reddimur similes Beatissimæ Virgini, quæ divinæ voluntati se se accommodando, evasit in Matrem Dei: Reddimur similes filio Dei, qui factus est obediens usque ad mortem, & quidem usque ad mortem crucis: Reddimur similes SS. Trinitati, Tunc enim ei nostra voluntas redditur quam simillima, quando in volito formalis, volendo scilicet, quidquid, & qua ratione Deus ipse vult, eidem per omnia conformatur. Insuper obedientia præstat, quod divinæ sapientiæ prorsus est proprium: In nullo errare posse. Potest Superior errare præcipiendo, sed mini-

minimè inferior obediendo, nam (excepto peccato) non potest tunc non facere voluntatem DEI. Hinc sancti Patres unanimiter docent: Illud, quod obedientia injungit, semper perfectius esse omnibus, quæ pro illo tempore facere possumus. V. g. Superior tibi impone domum verrere, gratissimum omnium, quæ eo tempore Deo exhibere potes, est hoc opus injunctum perficere; ut proinde pro illo tempore tibi melius sit domum verrere, quam orare, meditari, prædicare, et si hæc ex natura sua illis perfectiora sint. Præcipe Domine, quidquid vis, quid facere possim ipse scis &c.

Punct. 2. *Vir obediens loquetur victorias.* Prov. 2.28. Obedientia vincit omnia, vincit mundum, quia vilipendit ejus vanitatem: Vincit diabolum, quia ejus effugit pravitatem: Vincit carnem, quia ejus coercet cupiditatem: Vincit hominem veterem totum, quia DEO subicit ejus voluntatem. Obedientia cæteras quoque virtutes sibi associat, & eidem obedientem exornat. Obedientia

est opus facillimum, dum enim te alienæ curæ submittis, tuum onus ejus humeris imponis. Obedientia est sacrificium DEO Gratissimum, quia per illam homo DEO consecrat propriam voluntatem. Obedientia est opus maximè meritorium, plūs meriti obtinet, qui ex obedientia sobriè manducat, quàm qui ex propria voluntate se se rigidissimâ abstinentiâ discruciat. B. Stephanus, Comes Tironensis rem acu tetigit, dum sequentem sententiam protulit: (Stephanus in Tessera quotidiana die 3. Sept.) *Præstat exercere unum actum verè obedientiæ, quàm facere sexcenta miracula.* Obedi ergo celeriter & simpliciter, humiliter & hilariter, fortiter & ferventer, constanter & libenter. Domine, quid me vis facere? indica mihi per superiores meos voluntatem tuam, sum paratus ad omnia, &c.

Punct 3. *Melior est obedientia, quànt vi timæ.* 1 Reg. 15. 22. Obediendo offerit homo non vaccam, taurum, aut vitulum, sed suum proprium arbitrium. Offerre & relinquere sua facile est; at offerre

ferre & relinquere semetipsum, hic la-
 bor, hoc opus est. Difficultatem hanc
 Seraphicus noster parens perpendebat,
 & monebat: *Fratres, qui sunt subditi,*
recordentur quod propter DEUM abnegave-
runt proprias voluntates. Unde firmiter pre-
cipio eis, ut obedient suis Ministris in omni-
bis, quae promiserunt Domino observare, &
non sunt contraria anima suæ, & Regula no-
stræ. cap. 10. Reg. Qui jussis paret, prœ-
mia magna parat. Cùm ergo te obedi-
entiæ labor fatigat, cogita ejus prœmi-
um. Cogita eam esse propriæ volunta-
tis sepulchrum, verum sine sangvinis
effusione Martyrium, immediatam apud
DEUM excusationem. Cogita eam esse
opportunitissimum ad augenda dona su-
pernaturalia remedium, ad virtutes
comparandas efficacissimum instru-
mentum, DEO & confratribus gratissi-
mum delicium, & tutissimam ad cœ-
lestem patriam navigationem. Gratias
tibi ago Domine, quod me indignissi-
mum peccatorem ad hunc Religiosissi-
mum ordinem vocaveris, & novo ser-
vore voveo ac promitto, vivere in obe-

dientia sínè proprio, & in castitate, da
exequendi facultatem, qui dedisti vo-
vendi voluntatem, &c.

LECTIO MATUTINA.

Vita boni Religiosi.

i. Bonum nostrum Religiosum, cu-
jus vitam in præsentiarum enarrare in-
stituimus, piissima Mater Religio in su-
ceptione concepit, in noviciatu quasi in
utero gestavit, in professione peperit,
ac baptizavit, in vitæ decursu abstinen-
tiâ pavit, aquâ sapientiæ potavit, cre-
bris confessionibus lavit, & ad omnimo-
dum sæculi contemptum informavit.
Optimæ Matris non malus filius, nec
erat ignavus, nec ignarus in gremio, ac
schola Matris suæ discipulus; sibimetipsi
identidem ingeminabat: Ad quid veni-
sti? altissima est vocatio, ac professio tua,
Deus te non conduxit ad aratra, & li-
gones, ad scindendas terras, & pasti-
nandas vineas; Non te vocavit, ut terre-
na sapias & corpori inservias, ut Doctor,
aut Superior in Ordine evadas; sed ideo
te pertraxit ad se, ut honorem ejus ze-
les,

les, saluti tuæ invigiles, sanctus fias, & in bono non deficiens animam tuam lucrifacias.

2. Ulterius ex instructione solicitæ suæ Matris, quasi apis laboriosa in singulis suis confratribus illud studiosius contemplatur, ac imitatur, quod in unoquoque præstantius elucefecit. Jam hujus Laici humilitatem, jam istius Clerici devotionem, jam illius Patris charitatem, patientiam, obedientiam decerpere, & in se transferre conatur, ac ipsos quoque sui Ordinis sanctos, sicut impensiùs veneratur, ita & intensius æmulatur. Tantum, tam servens, & continuum sanctitatis desiderium ac studium fovet, ut, si pergit, post mortem Canonizari valeat. Non solum facit, quæ præcepta sunt, sed etiam observat ea, quæ sunt consilii. Vita ejus non subsistit in quadam mediocritate virtutis, sed in quadam supererogatorio conatu, semper proficiendi. Doctrinam S. Apostoli Pauli sequitur, qui suis loquitur: 1. Thess. 4. 1. *Sic ambuletis, ut abundetis magis.* Hoc est, exponit S.

Chrysost. aliquid supra mandatum cu-
piatis facere, ita ut ex desiderio semper
proficiendi imperata superetis. Et his
omnibus non est singularista noster Re-
ligiosus, sed observat quām exactissimē
ea, quae communitatis sunt, sequens
consilium Seraphici nostri Bonaventu-
ræ 2. p. spec. ad Novit. c. 2. dicentis :
*Optima Religiosi perfectio, perfectè commu-
nia quaque conventionalia servare. Nec tan-
tum audit legem suæ Matri, sed etiam
vocem sui Patris.*

3. Seraphicus Franciscus, sanctissi-
mus noster Archimandrita in viro Reli-
giose decem sequentes requirebat per-
fectiones : (Rodolph. l. 2. hist. Seraph.
fol. 169.) Prima perfectio boni Religio-
si est, quod tota conamine & totis viri-
bus nitatur ad dolendum de peccatis,
& libenter ea confiteatur, & sinè mo-
ra, & postea caveat pro posse, ne in ea-
dem vel altera incidat. Secunda perfe-
ctio : Quod omnem creaturam supra se
ponat, & se subtus. Tertia : Quod cor
suum ab omni mundana, & humana
creatura eradicet, nec quærat, aut in-
veni-

veniat radicem , aut fundamentum , ni-
si in illo , qui fecit sibi cor . Quarta : Quòd
tantam habeat patientiam , quòd illum ,
qui sibi malum aliquod fecerit , vel dixe-
rit , conetur plùs diligere , & amare ex
toto corde , & ex bona voluntate ei li-
bentiùs servire sinè omni amaritudine
cordis . Quinta : Quòd diligat omnes
bonos , & omnibus malis compatiatur ,
ac honoret omnes , & se omnibus vilio-
rem reputet , etiam ipsis pessimis post-
ponendo . Sexta : Quòd amet multùm
reprehensionem , & reprehensorem , &
si malum aliquod de ipso ille , qui repre-
hendit , dixerit , totum concedat . Sep-
tima : Quòd omnibus libenter serviat ,
& vix ab aliquo sibi serviri acquiescat ,
reputans se indignum omni servitio . O-
ctava : Quòd studeat recogitare omnia
beneficia sibi , vel aliis quibuscunque
creaturis facta , & pro omnibus gratias
referat D E O , & post humiliter dicen-
do : Quis sum ego , qui pro aliis gratias
refero , cùm non sufficio referre eas pro
minima parte boni , quod mihi D E U S fe-
cit , & maximè cùm sim tam parva crea-
tura ?

tura? & sic annihilet se. Nona: Quod
solicitam habeat lingvæ custodiam, quæ
complementum est omium bonorum.
Decima & ultima: Quod super omnia
caveat, ut in omnibus verbis ejus relu-
ceat veritas, bonitas, & humilitas; quia
verbum hominis debet incipere à veri-
tate, proficere in bonitate, terminari
in humilitate, & mensurari brevitate.
An & tu has Seraphicas perfectiones
possides? bone DEUS! quam multis pa-
rasangis me & te noster bonus Religio-
sus antecedit! amplius ejus vitam inspi-
ce, & fac secundum exemplar, quod
tibi exhibet.

4. Præcipua ejus studia sunt: Vitam
beneordinare, seipsum abnegare, passi-
ones refrœnare, vitia extirpare, virtu-
tes implantare, corpus castigare, DE-
UM super omnia, & omnes ut seipsum
amare. Assiduè se exercet in humilita-
te, & charitate, in patientia, & obedi-
entia, in lectione, & meditatione, in
amorosis suspiriis, & bonis operibus.
Superiorem amat ut patrem, honorat
ut Dominum, audit ut doctorem, obe-
dit

dit ut Christo. Confratres omnes in Domino amat, omnes meliores le reputat, omnes bonō exemplō ædificat, patienter supportat, & pro posse consilio & auxiliō adjuvat. Ut tranquillitatem mentis conservet, infima petit, silentium custodit, seipsum non ingerit, non contradicit, neminem judicat, & omnia iuferenter de manu DEI accipit. Domi cogitat DEUM ubique præsentem, & omnia videntem, resistit temptationibus inimici, cor à pravis cogitationibus purgat, vitam ac mortem Christi perpetuō recolit, semper aut legit, aut studet, aut orat, & versatur in cella, quasi esset in cœlo. Extra claustrum Religiosam gravitatem, ac modestiam servat, portas sensuum diligenter custodit, de rebus spiritualibus loquitur, vanis & novis non attendit, curiositatem compescit, breviter se expedit, & citò domum redit. Fugit mulieres ut incarnatos dæmones, proprium amorem & judicium, ut infernum, otium ut pulvinar diaboli, tepiditatem ut pestem, & quodlibet peccatum amplius quam mortem. Nec non.

5. No-

5. Noster bonus Religiosus est Rector
 & non raptor : speculator, & non spicu-
 lator : dispensator, & non dissipator : ad
 omnem obedientiam resolutus , & nul-
 libi dissolutus , nullâ injuriâ fractus , &
 omnibus omnia factus. Est neglector
 quietis , appetitor laboris , fugax volu-
 ptatis , patiens abjectionis , impatiens
 honoris , amans orationis , redamans
 compunctionis. Est impiger in divinis
 laudibus , stabilis in Ecclesia , sobrius in
 mensa , pauper in pecunia , dives in
 conscientia , placidus in colloquiis , sapi-
 ens in sermonibus , prudens in omnibus ,
 totus DEI , cui se persua vota quam per-
 fectissime obtulit , ac in dies offert.

6. Memorant nostri Annales I. p. I.
 I. c. 73. Christum aliquando se se suo
 Francisco spectabilem obtulisse , atque
 ut trinam ipsi oblationem faceret , præ-
 cepisse. Cui vir Seraphicus ; Atqui nōsti
 Domine , me totum jam pridem ex asse-
 tuum esse , quid porrò offeram ? cui
 Dominus : Franciscus , mitte manum in
 sinum , & quod ibi inveneris , offer. Pa-
 ret S. Pater , & ecce nummum aureum
 sat

sat grandem in sinu offendit, & ut in
 manum venerat, Domino offert. Jussus
 iterum, & tertio sinum repetere, binas
 denuo monetas, quasi priori gemellas
 extraxit, Dominoque obtulit. A quo
 mox didicit, eo triplici munere auream
 obedientiam, pretiosam paupertate-
 tem, & inestimabilem castitatem desi-
 gnari. Has monetas noster Religiosus
 Deo integrè donat, dum vota sua ad un-
 guem observat, omnia Domino conse-
 crat, & sic eidem se totum in holocau-
 stum ut Sacerdos simul & hostia immo-
 lat. Cùm quis suum aliquid, docet S. Gre-
 gorius Hom. 20. in Ezech. DEO vovet,
 sacrificium est; cùm verò omne quod habet,
 omne quod vivit, omne quod sapit, omnipo-
 tenti DEO voverit, holocaustum est. Et hoc
 Religiosus est, quantus quantus est,
 DEI est, totus in DEI obsequium im-
 penditur, cui se non solum quoad a-
 ñum, sed etiam quoad potestatem, &
 libertatem plenissime dedicavit, ac im-
 molavit; ita, ut jam nec velle, nec face-
 re aliud possit, quam quod vovit, &
 gaudet sibi jam non licere, quod aliás
 cum suo detimento licuisset. 7.

7. Quotidie obfirmat animum, ne proclivitate naturæ in deteriora abripiatur: Omni cura advigilat, ne vetus homo insensibiliter ad creaturas, ad carnem propriam, ad vanitates sæculi, & relaxations dilabatur; & ne paulatim novitus fervor intepescat, se hodie Religiosæ vitæ institutum inchoâsse existimat: Hoc solum curat, ut DEO placeat, omnes partes veri Religiosi adimpleat, Regulam & statuta quam rigidissimè observeret, & desiderium desiderio, studium studio, virtutem virtuti, ac perfectionem perfectioni adjiciat. Si vero contingat eum ex obreptione, inconsideratione, aut oblivione in quosdam nævos defectus, aut imperfectiones caderet, protinus se recolligit, culpam agnoscit, magno spiritus fervore resurgit, puniri desiderat, se emendat, & omne damnum magnô animæ suæ lucrō reintegrat. *Scimus, quoniam diligenteribus DEU M omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Rom. 8. 28.

8. Abbas Pambo (in vit. SS. Patr. de obe-

obedientia.) Juniores suos Monachos
hoc modo adhortabatur: *Talis debet esse
Religiosus, quale corpus mortuum, quod ne-
que voluntatem habet, neque sensum. Aut
qualis baculus in manu senis, qui eò ad arbi-
trium utitur.* Vita nostri Religiōsi est
mors; ita ut verè cum Apostolo dicere
valeat: *Vivo ego, jam non ego, vivit verò
in me Christus.* Galat. 2. ¶. 20. Quem-
admodum enim vitâ functus, res mun-
danās non amplius prosequitur, cupi-
ditate caret, jure ad res à se possessas ex-
cīdit, neque ulla motione vitæ agitatur:
Ita & ille toti vitæ sensuali mortuus nō
amplius appetit, sed totaliter agit vitam
spiritualem. Vivit jam non ex corruptæ
naturæ legibus, sed ex spiritu & gratiæ
præscripto. Mens ejus semper sibi con-
stat, semper est fixa in ratione, semper
firma in studio placendi DEO, nihil cu-
rat, quid quid vel prosperi, vel adversi
extrinsecus accidat. Et hæc demum est
summa quies, ac maxima felicitas: Mu-
ndum ex integro despicere, & quæ mun-
di sunt negligere.

9. Et sic mortuus conversationem
suam

suam in cœlis habet , vita ejus est quædam altitudo animi , stans erectus super omnia , quæ in mundo sunt , omnia subter se habet , omnia despicit , omnia pro nihilo dicit , & ultrò affluentia ut lutum & sterlus abominatur . Verbo : vivit vitam prorsus felicissimam , spiritualem , liberam , servitute vitæ sensualis exemptam , ac quodammodo gloriosam ; sicut enim corpus gloriosum prædictum est dotibus claritatis , agilitatis , impassibilitatis , & subtilitatis : Ita hæ dotes communicantur Religioso vitæ sensuali mortuo . Est dos claritatis in ejus intelle-
ctu , quæ divinas monstrat veritates : Est dos agilitatis in ejus voluntate , quâ tam prompta redditur ad omnem DEI nutum , ut continuò idem velit , quod DEUS : Est dos impassibilitatis in ejus appetitu concupiscibili , quâ dotatus nullo carnalium voluptatum sensu afficitur : Est denique dos subtilitatis in ejus irascibili , quâ roboratus perrumpit difficultates omnes , quasi nihil obstaret in virtutum executione . Nunquid ita vitam perfectorum vivere gloriosum est ? ita per omnem modum . Nonne & tu velles eam vivere ? utique .

Ne affirma, nisi velis tibi ipsi emori,
nam obtineri non potest sine hac morte.
Morere, & vives.

E X A M E N.

De Obedientia.

Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis, ipsi enim per vigilant, quasi rationem pro animalibus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes, hoc enim non expedit vobis. Heb. 13.17. Superior DEI vi-
ces gerit, quidquid præcipit ille, ac si DE-
us ipse præciperet, accipe. Siccine huc
usque obedivisti? habet vera obedien-
tia suas quatuor dimensiones: *altitudi-
nem, profunditatem, latitudinem, & longi-
tudinem.* Altitudo non solum requirit, ut
subditus exteriores potentias ad opus
applicet, sed etiam ut suam voluntatem
ac judicium, Superioris voluntati ac
judicii conformet, mandata ejus non
discernat, intentionem non discutiat,
magnam æstimationem de eo concipiat,
& propter DEUM eidem in omnibus
acquiescat. An ita facis? Profunditas in eo
sita est, ut te non tantum majoribus,

sed

sed etiam minoribus subjicias. Sanctissimus noster Patriarcha unius horæ Novitio erat obtemperare paratissimus. Item, ut ad vilia quæque ministeria te abjicias. Fuit sine indifferentia æquè ad honoratiora ac abjectiora? *Latitudo* in eo est posita, ut non solummodo in illis, quæ sub peccato à superioribus præcipiuntur, sed etiam, quæ sinè tali obligatione imperantur, imò & in iis, in quibus solùm Prælati voluntas advertitur, promptè obediatur. Amplexarisne hanc latitudinem? *Longitudo* denique in eo consistit, ut obedientiam præstes usque ad mortem, & nullam unquam prætendas excusationem. Dic, an nunquam pro tuo damno nolle, dixeris te non posse? sit ergo imposterum tua obedientia voluntaria sinè contradictione, strenua sinè desperatione, prompta sinè dilatione, devota sinè dedignatione, simplex sinè discussione, jucunda sinè perturbatione, humilis sinè elatione, perseverans sinè cessatione, universalis sinè exceptione, totalis cum plenissima subjectione, &c.

MEDITATIO SECUNDA.

De Religiosa Paupertate.

Punct. 1. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum.* Matth. 5. 3. Bene nota: Non loquitur de futuro, sed de præsenti, non dicit *erit*, sed *est*; paupertas enim est quoddam cœlum in terra. In cœlo est perennis securitas, paupertas est secura & sîne cura: In cœlo sunt veræ divitiæ, sola voluntaria paupertas possidet omnia, *nihil habentes, & omnia possidentes.* 2. Cor. 6. 10. Divitem facit contenta voluntas, non obtenta facultas. In cœlo est plena satis-
tetas, paupertas voluntaria semper in-
satietate vivit, quia nihil concupiscit: In cœlo est æterna lætitia, paupertas
jucundatur in sanitatis conservatione,
quam solicitude divitarum destruit, de-
lectatur in animi tranquillitate, quam
divitarum amor perturbat, lætitatur in
conscientiæ suavitate, quam divitiæ dis-
crucent: In cœlo est jucunda societas,
paupertas tollendo *meum ac tuum* frigi-
dum illud verbum, veram generat ac

conservat familiaritatem: In cœlo est gustus nostri plena saturitas, paupertas esurientis appetitum delectat, dives, langvente appetitu, super appositas epulas nauseat. Avarorum vita mortui convivio est similis, omnia enim cum habeat, qui delectetur habet neminem. O quam multa habet Religiosus, qui nihil habet, quia quod vult, id omne habet. Exue affectum ad omnia, & solùm anhela ad cœlestia, &c.

Punct. 2. Tobias Tobiam, senior ille suum juniores quondam consolabatur: *Noli timere fili mi; pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus.* Tob. 4. 23. Paupertas voluntaria omnibus mundi bonis est melior. Hæc est, quæ peccatorum instrumenta tollit, peccata præterita expiat, & ab inutili rerum caducarum occupatione nos liberat, paupertas juvat ad virtutum multiplicationem, meritorum exaltationem, cordis quietem, honorum spiritualium dulcedinem, & cœlestem hæreditatem. *Magna felicitas Christianorum,* inquit S. Augustinus Ser. 28. de verb. Apost.

Apost. ut paupertatem faciant pretium regni cælorum. Non displiceat tibi paupertas tua, nihil ea potest ditiūs inveniri: Vis nōfse quām locuples sit? cælum emit. Æstima proinde ex mercede pretium, & cogita, multi te esse pretii, præstare, quām multa pretiosa possidere. Paupertas non debet censeri in Classe malorum. Non ille, qui plura habet, sed ille, qui nihil cupit beatissimus est. Quid enim est beatitudo? est summa inopia cupiditatum. Qui non cupit, non eget, & in hoc sensu pauper DEO est simillimus; & hinc etiam beatissimus. DEUS nulla re ad usum sui eget, cui consimillimus erit, qui minimo indigeat, & nihil cupiat. O Deus! nimis avarus & in te injuriosus essem, si tu mihi non sufficeres! si solus hujus mundi thesauros omnes haberem, propter te relinquere vellem, &c.

Punct. 3. Quō locō hujus mundi dignitæ habendæ sint, JESUS suō exemplō docuit, quando dixit: *Vulpes foras habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Matth. 8. 20. Nascitur in stabulo, reclinatur

in præsepio, tegumento involvitur pauperculo, inops remanet totum vitæ spatiō; ac denique in cruce non habuit potum frigidæ, quā sitim extingveret, nec aliquid proprium, quod in suos testamenti vice divideret, nec linteum, quod nuditatem suam tegeret, nec proprium sepulchrum, in quo exanime corpus requiesceret. Hinc pauperum Patriarcha Franciscus dicere solebat : Wading.

Tom. 3. Collat. 5. Paupertatem noveritis, fratres charissimi, virtutum esse Reginam; quia in Rege Regum, & in Regina Matre ipsius tam præstanter effulgit. Propter nos egimus factus est, cum esset dives, ut nos in opia ejus ditaremur. Disce, ô Religiose, à Christo voluntariam paupertatem, disce, unde dives factus sis, disce unde dicit fieri possis. O paupertas, quam gloria es, propter quam DEI Filius descendit de cœlo! quam exaltata, quæ resulges in JESU! quam dives, cui homo debet omnia, & quæ homini dat omnia! Ec quid ultra terræ crepundiis impeditur? paupertas pennas habet, volabo, & requiescam, prævolat vul-

vulneratus meus Seraphim, diu noctu-
que ingeminans: Deus meus & omnia.

LECTIO VESPERTINA.

Vita mali Religiosi.

1. Refert Wadingus noster ad Ann.
 1219. ultra quinque millia fratrum
 Franciscanorum propè Assisium ad co-
 mitia generalia convenisse, serioque de
 sua, totiusque orbis reformatione tra-
 dâsse. Commovit hic Conventus Re-
 storem tenebrarum, ut convocatô mul-
 torum millium suorum conciliô, non
 longè ab illa Franciscana acie positô, co-
 mitia comitiis, & consilia consiliis oppo-
 neret? Multorum dæmonum in medi-
 um allata sunt arbitria; unius tamen ex
 astutioribus præ cæteris probatur. Cum
 probis viris, inquit, non tam agendum
 esse aperto marte, quam arte: Eam por-
 rò se excogitâsse rationem eos paulatim
 enervandi: Omnes adhibendas esse vi-
 res, ut in hoc sodalitium recipientur
 nobiles, docti, & pueruli: Nobiles, ut
 vivant inter eos lautiùs, suspirantes ad
 delicias, quibus enutriti sunt: Docti, ut

suis scientiis tumentes viam destruant humilitatis : Pueruli , ut relaxent Regularem disciplinam , quam molliuscula membra perhorrent . Optimum cunctis tenebrarum Principibus visum consilium , operaque complendum . Porro secretum hoc conciliabulum non latuit Franciscum ; attamen à DEO confortatus statuit , ad nostram societatem neque nobilibus , neque doctis , neque puerulis aditum esse præcludendum : Non nobilibus , quia eorum vocatio sincerior , transitus ad summam paupertatem laudabilior , conversio ad alios trahendose efficacior , institutaque honorabilior : Non doctis , quia eorum scientia Evangelicæ vitae sequacibus necessaria , & ignorantiam repellit cæterorum : Non denique puerilis , quia dicit Dominus : *Sinete parvulos venire ad me.* Marc. 10. 14.

2. Religiose irreligiose , clamose , scandalose , vane , vague , prodige , tepide , sacrilege , dissolute , in te uno dæmonum astutia reperit , quod per nobiles , doctos , & puerulos in effectum redigere statuit . Tu instar nobilis in arce affectas dele-

deleßationes, abhorres mortificationes,
 tuæ cuti plūs æquō times, tuæ carni
 plūs æquō parcis, tuo corpori plūs æquō
 formidas, & interim totis desideriis cor-
 poris commoditatibus inhias. Ut quid
 ad vomitum redis? absterreat te vox
 Christi, dicentis: *Nemo mittens manum*
suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus
est regno DEI. Luc. 9. v. 62. Tu, tu Re-
 ligiose Cosmophile, ad instar elati Docto-
 ris in altis habitas, promotiones quæris,
 confratres despicias, suspici cupis, & in
 omnibus singularitatem ostendis. Pun-
 gat te melleus pariter & aculeatus Ber-
 nardus Homil. super missus. *Video, in-*
quit, quod non parùm doleo, post spretam
faculi pomparam, non nullos in schola humili-
tatis superbiam magis addiscere, ac sub alis
mitis, humiliisque magistri magis insolescere.
Non patiuntur in contemptu haberí, qui in
sua domo non nisi contemptibiles esse poterant,
ut, quia videlicet ubi à pluribus honores ap-
petuntur, ibi locum habere non meruerunt,
saltē ibi honorabilcs videantur, ubi ab ho-
minibus honores contemnuntur. Tu, tu se-
 mireligiose, es ille puer, qui delicatu-

lus, laxè vivendo, Regularis disciplinæ observantiam enervas, multiplices recreaciones procuras; ac tua damnoſa tepiditate tam confratres, quām ſeculares scandalizas. Unō in honestō ac minūs Religiosō verbō aut factō plus deſtruis, quām alii millenis suis bonis exemplis ædificant. Excitent te verba beatissimi Patris nostri Francisci in fratres, scandalosè viventes, fulminata: *A te sanctissime Pater, & à tota caelesti curia, & à me pauperculo ſint maledicti, qui ſuō malō exemplō confundunt, & deſtruunt, quod tu per sanctos fratres bujus Ordinis ædificasti, & adificare non ceſſas.*

3. Prō dolor! multi propter amorem Domini nostri J E S U Christi ad relinquentes dulcissimos affectus, parentes, germanos, ſorores, divitias, mundique delicias fortissimi, in monasterio aliquamdiu ferventissimi, ad exequendas communia ordinis officia frequentissimi, ad custodiendas Regulas, etiam minimas, perfectissimi ſuēre; tandem verò ad declinandas negligentias, ad expunganda vitia levissima, ad fervandas Regu-

Regulas observatu facillimas infirmi ac desides fiunt, necessitates fingunt, excusiones quærunt, chorum, recollectiones, meditationes, disciplinas, &c. prætensa excusatione fugiunt, omittunt, negligunt. Eò ventum est, ut licet pudor neget Apostasiam corporis, reportamen paulatim ingerat Apostasiam cordis. S. Bernard. sup. Psal. 90.

4. Videt hoc pia Mater, sancta Religio, sibique ipsi identidem ingeminat: *Multiplicasti gentem, non magnificasti laetitiam.* Isaiae 9. v. 3. Genuisti sub ovina pelle lupum rapacem, sub habitu Religioso hominem sæcularem, imò ipsis sæcularibus pejorem. Melius ei fuisset, si in mundo mansisset; periculosoress passiones nutrit in monasterio, quam habuisset in sæculo; perdidit mundi sestatorem, nec fecit Christi imitatorem; profitetur vitam cœlestem, & tenet conversationem scelestam, triplò plures habet propensiones ad vanitates, quam ad virtutes. Sic est, annuit Dionysius Carthus. de profect. spirit. Art. 14. *Nisi Religiosa persona conetur quotidie se in-*

*bus purgare, motus, & impetus passionum
refrænare, & coram DEO dignè proficer; effi-
citur multò incorrigibilior, durior, & pe-
jor in clauſtro, quam erat in ſeculo.*

5. Religiosus noster irreligiosus verè quoddam monſtrum eſt; participat enim aliquid de Religione, & aliquid de mundo: Sic ſervit Ordini, ne offendat mundum, ſic convivit ſuis confratribus, ne deferat ſæculares, ſic consecrat cor ſuum DEO, ut illud etiam poſſideat ſæculum, ſic invigilat animæ, ut etiam corpus habeat ſuas commoditates, quid ſequitur? totalis ruina. Devotissimus Landspergius abſolutè dicit l. i. Epift. 42. cum hominibus multam no-
ticiam habere, omnino contrarium eſt Monasticæ professioni. Sicut ſtillicidium tandem durifimum cavat lapidem: Sic nimia cum ſæcularibus familiaritas pau-
latim rigorem emollit Ordinis, mun-
dus, qui utcunque, durante Novicia-
tu, in corde aruerat, revirescit, novæ
species redeunt, reliquæ vanitates de-
nuo adorantur, & fiunt posteriora pe-
jora prioribus. *Commixti ſunt inter gen-
tes,*

tes, & didicerunt opera eorum, & servie-
runt sculptilibus eorum. Psal. 105. 35. Pi-
scis extra fluvium, & Monachus extra
monasterium uterque tendit ad interi-
tum. Sæculares ei atfricant suas affectio-
nes, transtantur nugæ, miscentur scur-
rilitates, laudantur facetiæ, nobile tem-
pus jocando teritur, fama proximi lædi-
tur, respectus minuitur, Religiosa gra-
vitas perditur, omnes sensus periclitan-
tur, & ad illicita objecta invitantur.
Quid ultra? vix unquam ad cellam re-
ditur sine lapsu.

6. Ecce jam furtivè extorsisti à tuo
Superiore licentiam exeundi, quô pu-
tas sociô? meo confratre, reponis, quem
mihi Prælatus assignavit. An non eti-
am aliô? S. Thomas à villa nova Conc.
2. de Dom. 1. Quadrag. tibi etiam tertiu-
m ostendit, dum dicit: *Religiosum extra*
cænobium ducit Satan, ut sic per plateas va-
gantem libidine inficiat, curiositate sauciet,
ambitione inflet, curis secularibus disturbet,
& à devotionis fervore distrahendo tepefaciat,
& infrigidet. Ais, sunt mei parentes, con-
langvinei, & propinqui, quos frequen-

to. Audi, quid tibi Christus respondeat. Matth. 10. v. 37. *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.* Et planè servo D E I visitationes parentum semper nocivæ sunt: Aut enim sunt divites aut pauperes, utrobique laqueus. Si sint personæ divites, insignes, & in deliciis viventes, loquentur de suis diverticulis, & recreationibus, de suis vanitatibus & negotiis sæculi, de cibo & potu, & sic ingerent suo filio appetitum ad pingves ollas Ægypti, quas reliquit. Si sint pauperes, enarrabunt suas miseras, & sic eum suarum afflictionum reddent participem, reversus in cellam mirè exagitabitur. Hinc providè S. Basilius c. 20. Const. Monast. *A propinquis, amicis, parentibusque animi affectione nos tam longè opportet esse disjunctos, quam longè eos, qui jam sunt vitâ functi, à vivù videamus distare.*

7. S. Hieronymus, cui oppidum carcer, & solitudo Paradisus erat expressè dicit Epist. ad Heliod. *Monachus in patria sua perfectus esse non potest, perfectum autem esse nolle, delinquere est.* Si Religiosus ab inten-

intentione & studio perfectionis revocat
 animum, tunc ut impostor & hypocri-
 ta pernegat statum suum. Ne succen-
 ses mihi simulator, quod te hypocritam
 nominem, es etenim: Exterius portas
 Religiosum, hoc est, perfectionis pro-
 fessorem, & interius revera deposuisti
 animum proficiendi. Dum vota nuncu-
 pasti (S. Thom. 2. 2. q. 185. a. 5. ad 2.)
 te sub mortali ad perfectionem tendere
 obligasti. Ubi est jam perfectionis studi-
 um? ubi perfecta morum conversio? ubi
 illibata Regulae observatio? si nihil, nisi
 ad quae sub lethali teneris, observes, si
 Religionis silentium, frequentationem
 chori, & hujusmodi omnino non cures,
 te in perpetuo peccati mortalitatis statu vi-
 vere non dubites. Et quia non vivis se-
 cundum tuam tot gratiis prægnantem
 vocationem, acquisiris tibi ipsis sæculari-
 bus graviorem damnationem; sicut e-
 nim bonus Religiosus communem for-
 tem sanctorum in cœlis transcendent, ita
 malus in inferno infra promiscuam da-
 mnatorum turbam descendit.

8. DEO sunt laudes, inquis, ego non
 sum
 17

sum talis, qualis hic de pingitur. DEI,
Ecclesiæ, ac Regulæ meæ præcepta ut-
cunque servo, hisce etiam sæpè super-
erogatoria adjicio. Hem! novum san-
ctum cras confessim canonizandum!
debuisset dicere: Cras forte ex ore Dei
evomendum. Dicit enim Dominus
Apoc. 3. 15. *Utinam frigidus essem aut ca-*
lidus, sed quia tepidus es, & nec frigidus,
nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.
Quid tibi videtur? quam aquam censes
tepidam? illam, ais: quæ nec frigida est,
nec calida, bene: & ex ore tuo te judi-
casti, tu enim talis es. Frigidum esse,
est esse deditum magnis, & manifestis
criminibus &c. talis non es. Fervidum
esse, est habere illam animi demissio-
nem, quæ contemptum, amet illam pa-
tientiam, quæ adversis delectetur, eam
resolutionem, quæ eligat millies mori,
quæm Deum vel in minimo offendere,
talis non es, ergo es tepidus ex ore Dei
evomendus. Tepidum esse, est frequen-
tare Sacra menta, sed sinè debita præpa-
ratione, est exercere virtutes, sed sinè
molestia, est pro libitu divinas inspirati-
ones

ones vel acceptare , vel rejicere , talis o-
mnino es : de Evangelio & de mundo
aliquid participas , verbô : Es tepidus ,
& in majori periculo æternæ damnatio-
nis , quām frigidus ; promptius enim se
ad meliorem frugem recipiet frigidus ,
quām tepidus , malus sœcularis , quām
negligens Religiosus , Publicanus , quām
Phariseus . Quare ? ideo , quia frigidi fa-
cilius sui frigoris periculum cognoscunt ,
quām tepidi sui teporis , illi non tot di-
vinis gratiis & bonis occasionibus abusi-
sunt , sicut isti . Et in hoc periculo so te-
piditatis statutu versaris Religiose ; sicut
enim non es in frigore & graviori flagi-
tio , ita nec existis in fervore , & summa
dilectione , & nisi te emendes , proximè
ex ore DEI evomendus , & ab eo dere-
linquendus es .

9. Rogo te per vulnera JESU Christi
& S. Francisci , propone meliora , seque-
re saniora . Audis tot DEI inspirationes ,
tot Superiorum admonitiones , tot men-
sæ lectiones ; dirigeris tot seniorum con-
siliis , intueris tot bona exempla , exsti-
mularis tot juniorum ardore , invitaris
tot

tot æqualium pietate ; hæc si haberet mundanus vel pessimus , fieret piissimus. Redi ad frugem. Cùm mundo nuntium remittebas , & in Religione vota emittebas , magnò tunc tuæ perfectionis ac salutis desideriò ardebas. Illi stimuli , illæ rationes , illa argumenta , quæ te tunc permovebant , æquè modò vera sunt , ac tunc erant. Minusne nunc amabilis D E U S ? minusne tu illius servus ? minusne perfectio appetenda ? ut quid ergo de tuo servore remisisti ? & proposita tua infregisti ? ut quid sanctam Religionis terram calcas , & probi hominis locum occupas ? ut quid frater musca confratrum labores devoras , & sacrilegè sacram Eleemosynam dilapidas ? *Filiī sanctorum sumus.* Tob. 2. 18. Illi in omni pietate , justicia , & perfectione te præcesserunt , tuum est , eos strenue sequi , & cum illis æterna præmia consequi.

E X A M E N.

Circa Religiosam paupertatem.

Seraphicus noster Patriarcha , sanctissimam paupertatem (S. Bonav. in vit.)

vit.) modò Matrem, modò Sponsam,
modò Dominam, modò Reginam ap-
pellabat. Quo affectu & effectu hanc
Matrem & Sponsam colis? huic Domi-
nae & Reginæ obedis? an votum pau-
pertatis nunquam violas? nihilque su-
perfluum retines? libenterne emendi-
cas, quæ tibi sunt necessaria? an petis
semp̄ licentiam à Superiore, si ab ex-
tra aliquid accipis? utique non fovebis
affectum ad rem quam piam? in victu &
vestitu qualem te præbes? num re ali-
qua tanquam propriâ uteris? num eligis
viliissima? quo in loco sunt apud te sacræ
Eleemosynæ? in munusculis dandis &
recipiendis qualem te præstas? dare
quæquam & accipere pro libitu, super-
flua habere, singularia à sæcularibus
procurare, pretiosa appetere, affectum
ad aliquid tenere, & diutiū, quam o-
pus est retinere, à paupertatis amato-
ribus alienum est, an etiam à te? ob re-
verentiam pauperrimi Jesu altissimam
sequere paupertatem, memor verbo-
rum ejus: *Qui non renuntiat omnibus, quæ
possidet, non potest meus esse discipulus.* Luc.
14. 33.

ME-

MEDITATIO TERTIA.

De Castitate.

Punct. I. *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinqinati; Virgines enim sunt, hi sequuntur Agnum quocunque ierit.* Apoc. 14. 4. *Nil sublimius Virginitate, Virgines quantum mortalibus licet, sunt æmulæ sanctissimæ Trinitatis.* Prima Trias *Virgo est.* Canit Nazianzen. in Carm. de Virg. *Nil excellentiùs castitate, DEUM ipsum meretur Sponsum, tanta est unio inter Christum & Virgines, ut hæ illum sequantur quocunque ierit.* Nil DEO gratiùs castitate, universim omnes Apostolos diligebat JESUS, singulària tamen teneritudinis indicia testari voluit erga S. Joannem ob ejus eximiam puritatem, huic Virginis Virginem Matrem suam in cruce commendavit. Nihil dignius castitate, Virgo illius est Mater, cuius DEUS est Pater. Nihil Angelis similiùs castitate, superat Angelus Virginem felicitate, Virgo Angelum fortitudine. Nihil utilius castitate, quanto quis fuerit ab omni impuritate remotor, tanto erit divinis bonis ac donis reci-

recipiendis aptior. Postulet à DEO Virgo quaecunque voluerit, facile omnia impetrabit; nihil enim Sponsus Charissimæ Sponsæ denegabit. O JESU Sponsor & corona Virginum, scio, quod non possim esse continens, nisi tu dederis &c.

Punct. 2. *Non permanebit spiritus in homine in aeternum, quia caro est.* Gen. 6. v. 3. Dulcis est spiritus DEI, sed animalis homo non percipit ejus dulcedinem. In coelis singularis quedam voluptas destinata est eximiis pudicitiae cultoribus; immo & in terris maxima voluptas est, vicisse voluptatem. Non est hoc voluptatem relinquere, sed sensualem cum spirituali, turpissimam cum gloriosissima, falsam cum vera, & brevem cum aeterna permutare. Svavè est svavitatis lubricis abstinere, & intus in puro corde DEUM tenere; DEUS enim est omni volupitate dulcior, dulcia respuenti, omni gudio jucundior, gaudia transitoria contemnenti, omni bono melior, carnem & sanguinem spiritui subjicienti. Plus cruciat transacta voluptas, quam præsens delectabat. Si tur-

pe quid admiseris , miser eris : Affliget te seosus pœnitentiæ , torquebit te stimulus conscientiæ , & insuper remanebit solutio pœnæ . Apage turpis voluptas , deosculor te pulcherrime J E S U , tu , qui posuisti lævam sub capite meo , & dexterâ tuâ amplexâris me , fortiter ama me , ut castè diligam te , & sic jam me nulla tentatio separet à te , &c.

Punct. 3. Job rem acu tetigit , dum in præsentiarum tale pactum pepigit : *Pepigi fædus cum oculis meis , ut ne cogitarem quidem de Virgine . Job. 31. 1. Bene , optimè ; venitur enim à minore ad majus , nec est sat magna securitas , ubi periclitari potest castitas . Multi diu castè vixerunt , & tamen postea ceciderunt . Spiritus fornicationis nulli ætati , nulli sexui , nulli conditioni parcit , fugatus redit , mortificatus reviviscit , debellatus bella movet , prostratus resurgit . Illicita voluptas est mera pravitas ac brevitas , mera vanitas & falsitas , mera corruptæ naturæ anxia quædam cupiditas , quam prius amissam quam admissam senties , cuius adire abire , cuius esse fuisse , & tamen*

men s^epius incertos superat, quam superatur. Vilior, turpior & abominabilior est, quam ut detecto vultu recipiatur; hinc utitur stratagema, & exiguis aspectuum, verborum, munerum, familiaritatum velitationibus ut cladem inferat, proludit, & quisquis sibi ab his præludiis non præcavet, occupatur. *Hæc sunt arma*, dicere solebat sanctissimus noster parens (Wading. in opusc. S. Francisc. mihi sol. 506.) quibus dirumpitur anima casta, visus, alloquium, contactus, oscula. Utinam hoc experientia non docuisset! turpe est per adulterium fidem frangere Sponso terrestri, infinitè turpius fidem votō Religionis firmatam infringere Sponso cœlesti. O JESU, anima mea per votum castitatis tibi sponsata est, nec alium admittere amorem &c.

D I E S S E X T A.

Sanctissimo Ordinis tui Fundatori
consecranda.

Oratio jaculatoria : O JESU vita animæ
meæ, fac sequi ac diligere te, dum vis
vivere me.

MEDITATIO PRIMA.

De Imitatione Christi.

Punct. i. Pater cœlestis desuper ex
lucida nube clamat : Matth. 17. 5.
*Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene
complacui, ipsum audite.* Omnes Christi-
ani sed vel maximè Franciscani tenen-
tur ad imitationem Christi ; hoc Franci-
scus suis præcepit, dum Regulam suam
ita incepit : *Regula & vita fratrum Mino-
rum hæc est ; scilicet Domini nostri JESU
Christi sanctum Evangelium observare.* Lo-
quitur Jesus non solum verbis, sed & fa-
ctis, verbis ut credas, factis, ut facias.
Si membrum Christi es, necesse est, ut
sequaris caput tuum. Professio Christia-
ni est, sequi Christum. *Christiani nomen,*
verba sunt Magni Augustini de vit.
Christiani. *Ille frustra sortitur, qui Chri-*
stum

stum minime imitatur , quid enim tibi prodest vocari , quod non es ? sed si Christianum te esse delectat , quæ Christianitatis sunt gera , & merito tibi Christiani nomen assume . Quidquid fecit Christus , nobis disciplina est faciendi : Ipsius vita est nobis vivendi forma , & omnis ejus actio , nobis agendi norma . In hoc sita est Religiosi perfeccio , ut sic quam simillimus Christo . Si vis salvari , Christum studeas imitari , non pigeat sequi , quem vis consequi . O Jesu , trah me post te , ut sequarte : Sequare te in humilitate & charitate , &c.

Punct. 2. Exemplum dedi vobis , ut quemadmodum ego feci , ita & vos faciatis . Joan. 13. 15. Quidquid Christus jubet , fecit : Jubet orare , jejunare , amare , prius oravit , jejunavit , amavit . Quid dubius haeres , miles ducem sequi ? prior ivit ille in hostes , prior sanguinem fudit , prior crucem passus est : Imitare , non potes hoc duce errare . Retinent te mundi amores & honores , divitiae & deliciae , difficultates & austerioritates , disrumpere haec vincula , merae opiniones sunt , si dulcis est mundus , dulcior erit Christus .

stus. Audi Christum dicentem tibi: Omnia terrena quid ad te? tu me sequere. Joan. ultimo v. 23. Si non sequeris me, persequeris me: Si non tecum es, contra me es. Ego sum ad cœlum via, per quam ambules: Veritas, pro qua curras: Vita, in qua permaneas. Neaberres, via sum, ne decipiaris, veritas sum, & ne moriaris vita sum. Via regia, veritas falli nescia, vita æterna. Peregrinus, dum semitam, ne aberret, interrogat sive dirigatur ad dexteram, sive ad sinistram, sive ad ascensum montis, sive ad descensum vallis, illi perinde est, dummodo illa via ducat ad viæ metam. Monstrat Christus suâ vitâ viam ad patriam, sic te geras in hac vita, ut peregrinus in via. Arcta, aspera, & dura quidem est via, sed durius erit audire: discedite à me maledicti in ignem æternum. Domine, ecce! relinquam me ipsum & omnia, ut sequar te, & consequar in te omnia, &c.

Punct. 3. Fabricando fabri sumus, & Christum imitando Christiani effici-
mur. Itaque inspice & fac secundum exem-
plar,

plar, quod tibi in monte monstratum est.
 Exod. 25. 40. Aspice, inspice: Aspice
 IESU corpus, & videbis multiplicem do-
 lorem; inspice cor, & videbis ardente
 amorem; imitare dolentem, quia si hic
 cum ipso dolebis, ibi cum eo pariter
 gaudebis: Imitare diligentem, amat e-
 nim ut ametur, amor similes aut repe-
 rit, aut facit. Aspice, inspice: Aspice
 IESU humanitatem, inspice divinita-
 tem: Illius imitare humilitatem, pau-
 pertatem, &c. hujus admirare majesta-
 tem, potestatem &c. Aspice IESU vi-
 tam bonis operibus plenissimam, inspi-
 ce IESU animam omnibus virtutibus
 exornatissimam. Aspice accurate IESU
 virtutes, inspice perspicaciter tua vitia;
 confer dein ejus vitam cum tua, & re-
 cognosce, quod JESUS sit humilis & tu
 superbus: Quod JESUS sit mansuetus,
 & tu iracundus &c. Estne hoc facere se-
 cundum exemplar tibi ad imitationem
 propositum? Non dedignetur, quod fecit
 Christus, facere Christianus. S. Augustin.
 Tract. 58. in Joan. Reprobus est, qui
 Christo, prædestinorum capiti, dissi-
 milis

milis est. Domine vocâsti me venire post te, ecce adsum. Malo temporalibus egerem, quâm omnia habere, despici, quâm suspici, cruciari, quâm delectari, quia tu egere despici, ac cruciari voluisti &c.

LECTIO MATUTINA.

De Mortificatione.

1. Vindictam, Religiose, vindictam
in clamito, moriatur hostis tuus, reus
est mortis: Moriatur. Hostis tuus in-
fensissimus tibi ipsi tu ipse es: Omnibus
ex integro ignosce, tibi ipsi verò nun-
quam. Tu, tu animam tuam trucidâsti,
quia mortaliter peccâsti. Tu, tu Filium
DEI rursus crucifixisti, quia tot scelera
commisisti; dignum proinde est, ut nos
ipso morti adjudicemus, qui toties Fi-
lium DEI, & animas nostras occidimus.
Vindicemus in nobis, inquit Simon de Cas-
sia l. 13. *injuriam Domini nostri*, & quan-
tum possumus nos conculcemus, dicentes unus-
quisque intra se: *Si pro peccatis meis Domi-
nus ita vilificatus est*, quomodo meæ vilitati
& afflictioni parcere potero, qui peccavi?

2. Prima in schola Christi lectio est

car-

carnis mortificatio : Si quis vult venire post
me , abneget se metipsum , & tollat crucem su-
am quotidie , & sequatur me . Qui enim vo-
luerit animam suam salvam facere , perdet il-
lam : Nam qui perdiderit animam suam pro-
pter me , salvam faciet illum . Luc . 9 . v . 23 .
& 24. Bene nota : Si vis Christi & cum
Christo esse , debes , cum eo crucifixus
esse : Nunquam in cubiculo hominis tu-
is voluptatibus addicti repertus est J E-
SUS : Inter spinas in cruce est mortuus ,
& nullibi libentiūs , quām inter spinas &
rigores commoratur . Ante suum disces-
sum volens suis lectionem charitatis
præscribere , elegit pro cathedra cru-
cem , pro carta propriam carnem , pro
atramento sanguinem , pro calamo cla-
vos & scripsit ; crucifixus sum . Hanc le-
ctionem Paulus didicit , vitâ expressit ,
& subscripsit : Mundus mihi crucifixus est ,
& ego mundo Gal . 6 . 14. Vedit hoc An-
tiochenus Antistes Ignatius & exclama-
vit : Amor meus crucifixus est : Non placet
mihi voluptas vita hujus , Christo crucifixus
sum . Epist . ad Rom . Audivit hoc purpu-
ratus noster Bonaventura , & suspiravit :

*Sinē vulnere nec volo , nec possum vivere ,
cūm aspicio DEUM meum pro me vulnera-
zum. in vit. Alii servi DEI fecerunt simi-
liter , dicente Apostolo Galat. 5. 24. Qui
Christi sunt , carnem suam crucifixerunt cum
vitiis , & concupiscentiis suis. Perlustra o-
mnes omnium sanctorum vitas , & in-
venies eos omnes carnem suam mortifi-
cāsse , abnegāsse , & spiritui subjugāsse.*

3. Et hoc nec immeritò & sinē meri-
tò ; carnis enim mortificatio est animæ
vivificatio , sic moriendo fugis mortem ,
& acquiris vitam. Carnis mortificatio
est mors anticipata , mors cupiditatis &
voluptatis , mors inordinatarum affe-
ctionum a omnium peccatorum. Car-
nis mortificatio est vera sui ipsius dile-
ctio , nunquam DEUS , semper bonus
& misericors , hanc nobis tam impensè
commendāsset & mandāsset , nisi scivis-
set ex hoc semine uberrimam nobis &
gratiæ , & gloriæ segetem accrescere.
Carnis mortificatio hominem in suo of-
ficio continet , sensus à damno delecta-
tione cohibet , voluntatem à proprio a-
more alienat , omnésque passiones , ne
ultra

ultra limites suos egrediantur, refrœnat. Mortificatio est gratissimum DEO sacrificium, unusquisque sui corporis sacerdos est, ut illud per mortificacionem DEO immolet, & in templum pacificum consecret. Ubi nos legimus Psa.

4. 6. Sacrificate sacrificium justitiae, ibi tex-
tus Caldæus reddit: Domate concupisen-
tias vestras, & reputabitur vobis sicut sacri-
ficium justitiae. Si superbiam vincas, im-
molas DEO vitulum: Si iracundiam,
arietem: Si libidinem, hircum: Si va-
gos cogitationum volatus, columbam
& turturem. Et hæc sacrificia sunt o-
mnibus necessaria, comprimis vero Reli-
giosis, in quorum persona David canit.

4. Propter te mortificamur tota die, esti-
mati sumus sicut oves occisionis. Psal. 43. 22.
Si verus Religiosus esse velis, Martyr es-
se debes. Sunt Religiosi, docente S. Chry-
sost. orat. de Abraham. l. 4. pro trib. ca.

2. vivi Martires, & pro Christo crucifixi.
Idem sentiunt S. Hieronymus, Hilarius,
Athanasius, Bernardus, aliquique sancti
Patres. Hinc S. Paphnutius, (Le Blanc.
in Psal. 43.) ad sacrificandum Idolis in-

vitatus, ostensis equuleis, sartaginibus,
 securibus, scorpionibus, aliisque ferali-
 bus instrumentis, generosè, ac intrepidè
 ajebat: Putasne, ô Præses! tua hæc tormenta
 adeò mihi horribilia videri, ut propterea DE-
 UM verum negandum putem? quin immo hoc
 scito, nostras monasticas constitutiones, multò
 plura in se tormenta continere, quoniam in
 multis exortationibus quotidie tentamur:
 Sed Salvator noster ita nos corroborat, ut o-
 mnia perferre & superare possimus. Dic,
 Religiose, quibus tormentis, & pœni-
 tentiis te Martyrem efficias? bone DE-
 US! horres crucem ipso dæmone ma-
 gis, nescio quot excusationes afferas, ut
 te rigori Ordinis subtrahas. Quid ad
 hæc Franciscus? Necessitas, ait, fratres
 charissimi, quam non ratio postulat, sed vo-
 luptas ostentat, extincti spiritus signum est
 manifestum. Spiritu tepido, & paulatim à
 gratia frigescente, necesse est carnem & san-
 ginem, quæ sua sunt querere. Quid enim
 restat, quando anima caret spiritualibus de-
 liciis, nisi ut caro convertatur ad suas? &
 tunc animalis appetitus necessitatibus articulune
 palliat, tunc sensus carnis conscientiam for-
 mat.

mat. (Wading. in opusc. S. Francisc. Tom. 3. Collat. 10.

s. Mortificationem, quam S. Pater verbis docuit, opere exercuit. Rigidus in disciplina, scribit de eo S. Bonaventura vit. c. s. super custodiam suam stabat, curam per maximam gerens de utriusque hominis puritate servanda. Cum apud Eremum de Sarthiano nocte quadam orationi vacaret in cellula, vocavit eum hostis antiquus, tertio dicens: Francisce, Francisce, Francisce, cui, cum, quid quereret, respondisset, fallaciter ille subjungit: Nullus est in hoc mundo peccator, cui, si conversus fuerit, non indulget DEUS, sed quicunque se ipsum poenitentiâ durâ necaverit, misericordiam non inveniet in æternum. Protinus Vir D E I per revelationem cognovit hostis fallaciam, & nullatenus à sua mortificatione cessavit. Sæcuti sunt Patrem suum primi discipuli ejus. In famosis illis, (Wading. ad Añ. 1219.) prope Assisium comitiis plures ex carnis maceratione infirmitates contraxerunt, quod ubi rescivit S. Funda-

tor, publicō obedientiæ editō statuit, ut mitiūs secum agerent, ac si qui essent, qui lōricas, circulos ferreos, catenulas, aut alia hujusmodi durioris macerationis instrumenta gestabant, ea protinus deponerent, & ad se omnino deferrent. Dictum factum, inventæque sunt miræ & variae pœnitentiæ artes, quas spiritus ardor excogitavit, numerus loricarum, & circulorum quingentesimum excessit. Regnum cœlorum vim patitur, nisi & tu tibi ipsi vim intuleris, illud non tuleris. Non decet, ut corpus animæ, pars deterior imperet præstantiæ, mortificetur corpus, ut vivat animus.

6. Ad edomandam carnem nostra statuta præcipiunt: *Ut in quacunque hebdomada tribus diebus fiat disciplina in communī, nempe feriâ secundâ, quartâ & sextâ: rationem addunt, ad carnis mortificationem.* Et hoc exemplo S. Apostoli Pauli, qui de se ipso scribit 1. Corint. 9. 27. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* Subiectâ carne, reliqui duo hostes, Dæmon & mundus facile superantur. Do-

cen-

cente S. Gregorio lib. 30. Moral. c. 26.
*Cum carnem restringimus, ipsis ictibus, non
 aërem; sed immundos spiritus verberamus, &
 cum hoc, quod est intra nos subjicimus, extra
 positis adversariis pugnos damus.* Flagella
 corpus tuum, quia toties contra Deum
 & animam tuam, rebelle fuit: Tunde
 & punge hunc fratrem asinum tuum,
 ne imposterum recalcitret: Non parcas
 ei, ne pereat. Si remurmuret: *Nemo
 unquam carnem suam odio habuit.* Ephe. 5.
 29. concede totum, & dic: quod sic
 non parcendo eam diligas, & ad immor-
 talem gloriam præpares. Alloquere car-
 nem tuam cum Bernardo Ser. 8. de Ad-
 vent. *Noli ô corpus, noli præripere tempora,*
omnia tempus habent, patere, ut nunc anima
pro se laboret, magis autem etiam collabora
ei: Quoniam si compateris, & conregnabis.

7. Deum adoras, qui crucifixus est:
 Institutorem agnoscis, qui portat Christi
 stigmata: Chordâ cingeris, quæ deno-
 cat funes & vincula Salvatoris: Religio-
 nem intrâsti, cuius ars est faciendi cru-
 cifixos: Regulam profiteris, de qua Na-
 varrus scribit Coment. de Regul. n. 17.

Adeò suspicio ac veneror illam altissimam Regulam sancti Francisci, ut observantes eam ad unguem & mentem Authoris, reputem esse quosdam incruentos Christi Martyres. Profectè sub tali capite, Institutore, habitu, Religione & Regula non decet esse membrum delicatum. Hypocrita es, si in tuo pœnitentiæ habitu, delicias & recreaciones insecteris. Verorum Franciscanorum est, mala libenter pati, & quæque paupertatis incommoda infra Etō animō tollerare. Signifer Iesu Christi, Seraphicæ nostræ militiæ dux Franciscus commilitones suos his verbis animare solebat: Si propter inopiam & paupertatem frater corpus necessitates suas in sanitate & infirmitate habere non potest, dum honestè petierit & humiliter à Prelato suo amore DEI, & sibi non datur, sustineat amore DEI patienter, qui etiam sustinuit, querens qui eum consolaretur & non invenit. Et hec necessitas sibi à Domino imputatur pro Martyrio, & quia fecit quod suum est, id est: quod pertinet humiliter suam necessitatem, excusat à peccato, etiam si corpus inde gravius infirmetur. apud Wading. Colla. 8.
 8. Ais:

8. Ais : Infirme, & tenerrimæ complexionis sum , graviores mortificatio-nes, longiores abstinentiæ , & promiscui quilibet cibi essent mihi certò certius præmaturam mortem allaturi. *Legumi-na ventosa sunt*, in tua persona S. Bernar-dus loquitur Ser. 30. in Cant. *Caseus sto-machum gravat, lac capiti nocet, potum aquæ non sustinet pectus, caules nutriunt melan-choliam, Choleram porri accendunt, pisces do-stigno aut lutoſa aqua meæ penitus complexi-oni non congruunt.* His enumeratis ita perstringit : *Quale est hoc, inquit, ut in totis fluviis, agris, hortis, cellariisve vix re-periri possit quod comedas? puta te quæſo Mo-nachum esse, non medicum, nec de complexione iudicandum, sed de professione. Parce pri-mùm quidem quieti tuae, parce deinde labori ministrantium, parce gravamini domûs, par-ce conscientia.* Non potes austiores car-nis macerationes preferre , mortifica te ergo in minoribus, magnum est , in mi-nimis se vicisse , innumera fvat curio-sitas, quæ mortificatio vetat : Velles hoc illūd ve ad ostentationem dicere , hoc il-lūd ve curiosius interrogare, hunc illūm-

ve verbis pungere , ne dicito , ne interroga , ne punge : Velles jam incitante somno dormire , per fenestras prospicere , ne dormi , ne prospice : Velles hunc illūm ve bolum , qui magis tibi arridet , jam libenter gustare , ne gusta. *Nota* , inquit , S. Vincentius Ferrer. Tract. de vit. spir. c. 8. quod mos DEO gratus est , aliquid de potagio suo pauperi semper in scutella dimittere. Dure stas , sedes , & cubas ne muta situm loci : Sustine quiete pruritum carnis , morsus pulicum , culicum , muscarum & hujusmodi. Quod tibi amarum , hoc DEO charum est. Confusione times ? confunde te ipsum ex industria , & vicisti , ac DEO gratissimum sacrificium obtulisti. Noster Adulphus olim Alsatiae Comes (Plat. de bon. stat. Relig. l. 2. c. 2.) inter alias virtutes magnopere mortificationi studuit. Cūm aliquando in sua ipsa civitate lactis lagenam , quam mendicatō acceperat , deferens , tribus filiis , quos in sēculo reliquerat , magna cum pompa incedentibus , occurrisset , passus est humani aliquid , ut rubore cœperit perfundi : At in-

infremuit, & mentis robur advocans, cùm adhuc in conspectu essent filii, lagenam super caput levatam evertit, séque totum lacle perfundens, dixit: *In felix erubuisti Christi paupertatem, & lac bajulare in manibus, nunc vel in capite ostende quid portaveris. Fac & tu similiter.*

9. Hoc si facies, infinitos cœlestis gloriae thesauros lucritacies. *Quod in præsenti momentaneum est, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. Cor. 4. 17. Quid minus opere levi ac momentaneo? quid majus æternô, immensô, ac infinitô cœli præmiô? minima mortificatio non sufficienter solveretur si pro ea totus hic visibilis mundus, & quidquid in illo est, rependeretur. Qui propter DEUM, docet Blosius, sensualitati voluptatique propriæ etiam in rebus minimis reluctatur, ac se mortificat, rem DEO magis gratam facit, quam si multos mortuos ad vitam revocaret. Hinc si duo simul ingrederentur horum, & unus florem decerperet, alter

verò amore D E I manum contineret ;
 hic propter DEUM florem dimittendo ,
 tantum præ illo obtineret meritum ,
 quanta est distantia cœli à terra ; talis
 enim mortificatio omnia naturalis ordi-
 nis opera toto genere excedit . Hoc lu-
 crativo commercio (in vita) Pater no-
 ster Seraphicus suas mortificationes dis-
 traxit . Ab eo seminudo & frigore pro-
 pè enecto frater germanus deridiculò
 quæri jussit : sudoris guttam sibi vende-
 ret : Franciscus , qui pretium ejus pro-
 bè noverat , internuntio respondit : Dic
 fratri , omnes sudoris mei guttas libera-
 liori Domino , & quidem carò me ven-
 didisse .

10. In cœlis proportionaliter remu-
 nerabimur ad eas tribulationes , quas
 in terris perpessi fuimus . Quanto laboris ac
 doloris plus tolleratum fuerat , tanto etiam co-
 rona erit magnificentior . S. Chrysost. Orat.
 5. advers. Judæos . Cùm Juvenis qui-
 dam (vit. PP. p. 3. f. 237.) seniculo suo
 obdormiscente , septies ad somnum pa-
 riter capiendum incitatus suisset , illūm-
 que septies vicisset : Senex in extasi ra-
 ptus ,

ptiss, vidit thronum pro suo discipulo paratum, septémque pretiosas coronas propter septem à somno partas victorias supra thronum pendere. Tot coronas perdis, quot mortificationes fugis; si te ipsum verò generosè mortificaveris, gloriosè coronaberis. O quām copiosa erit merces Religiosi, qui leipsum à manu usque ad vesperam in Choro, in celia, in refectorio, & in omnibus locis mortificat, & in perpetuum amoris Martyrem ac holocaustum immolat.

E X A M E N.

De Religiosa castitate.

Amicus Christi Franciscus (Chron. l. 1. c. 64. & l. 2. c. 45.) duabus vicibus duobus diversis in locis à duabus procacibus foeminis ad scelus invitatus, sese in pavimentum prunis ardentibus ex proximo igne constratum injecit: Quod factō unam ad pœnitentiam, alteram autem Saracenam ad fidem convertit. Sic resistebat Pater, quomodo tu filius? qui vult castè vivere, debet principiis resistere, pravas cogitationes quām primū

mùm repellere, malas occasiones fuge-
re, sensus, præsertim oculos accurate
custodire, corpus castigare, SS. Sacra-
menta frequentare, se semper honestè
occupare, præsentiam Dei considerare,
minima in suspicione habere, & omni
diligentiâ præcavere. Facisne ita? fu-
gisne suspecta consortia & consilia mu-
lierum, prout Regula præcipit? num ab
aspectu tuarum manuum aliarumque
partium, ac personarum, an elegantu-
lae sint, abstines? an minima in materia
lubrica ut maxima abominaris? quæ
media & remedia adhibes ad servan-
dam castitatem? an itate exuis, induis-
que quomodo id faceres præsente viro
magnum authoritatis? quo in loco est a-
pud te admonitio sanctissimi Patris tui
Francisci? audi vocem Patris tui, ita
habet: *Mulierum familiaritates, colloquia,*
& aspèctus, quæ multis occasio sunt ruinæ, eò
solicitiùs evitare debemus, quò sepiùs per hu-
juemodi videmus debilim frangi, & fortem
spiritum infirmari. *Frivolum profecto est*
quodcumque mulieris colloquium, excepta so-
la confessione, vel instructione brevissima,

juxta quod saluti expedit, vel congruit honestati. Wading. Collat. 6.

MEDITATIO SECUNDA.

In vitam Christi.

Punct. I. Apparuit gratia DEI Salvatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos, ut abnegantes impietatem & secularia desideria, sobrie, & justè, & piè vivamus in hoc seculo. ad Tit. 2. 11. & 12. Ad eruditendum nos Salvator venit, dum nostris delectationibus, commodis, voluptatibus, cupiditatibus stabuli nuditatem, præsepī paupertatem, frigoris austernitatem, & circumcisionis acerbitatem opposuit. Hac oppositione docuit mundum falli, & quotquot voluptatibus inhiant, prorsus insanire. Omnia bona terra contempsit Christus homo factus, ut contenenda monstraret. S. Augustin. de catech. rud. c. 22. Quidquid homo diligebat, Christus odit: Quidquid magni pendebat, Christus flocci fecit: Fugit, quæ mundus sectabatur, abjecit, quæ admisit. Si non vis decipi mundi mendaciis, necesse est, ut insistas Christi

sti vestigiis. Erras, & totō cœlō aberras,
si ad vitam aliam tibi fingas viam, quām
Christum. A Christo declinare, major
est insania quām querere nivem ad se
calefaciendum. O JESU vita tua est
via mea, &c.

Punct. 2. A duodecimo usque ad tri-
gesimum Salvatoris annum, solum de
eo lego: *Et erat subditus illis.* Luc. 2. 51.
Imò per totos triginta annos duxit vi-
tam obscuram, ignotam, & ab homi-
num oculis semotam, adeò, ut non ali-
us nisi fabri filius haberetur. Plurimis
argumentis urgeri videbatur, ut se ho-
minum ingereret congressibus, quid
non illo toto tempore fecisset ad exem-
plum generis humani? quid non dixisset
ad nostram eruditionem? quot millia
hominum ad frugem non convertisset?
& tamen latere ac silere præelegit, ut eō
paclō nos doceret, abstinere ab illa va-
nitate, quā videri, commendari, hono-
rarique volumus. An probrosum est
Christo, in terris vitam humilem du-
xisse? an ignominia sequi Regem Re-
gum? Si te adeò delectat magnum esse,
sis,

sis, concedo ; sed in altera, non in hac vita. Potes apud DEUM esse magnus, ut quid terrena venaris ? talis, ac tantus es (dicere solebat S. Franciscus) qualis, ac quantus coram DEO es. In terra magnus es ? quot & quanti id sciunt ? at si coram DEO magnus es, tunc cœlitibus universis magnus es. Huic, huic magnitudini invigila, & demetendam hujus faculi calca, &c.

Punct. 3. Docet voluptatem spernere in frigido & rigido stabulo DEUS infans : Docet querere sui contemptum per triginta annos DEUS latitans : Docet utique mansuetudinem adjungere DEUS prædicans. *Discite à me*, inquit. Matth. 11. 29. *quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.* Hanc mansuetudinis virtutem ipse cœlestis Magister opere tenuit, & verbis docuit : Tenuit opere ; quia inter tot obtræctationes, tribulationes & persecutions semper in spiritu, verbis, factis, & in omni conversatione mansuetus perststit : Verbis docuit, dum docuit diligere inimicos, orare pro persequen-

quentibus, benefacere odientibus, columbinam simplicitam & ovinam patientiam exhibere omnibus. Sinè hac virtute cæteræ in fastidium abeunt: Contra homo mansuetus semper est latus, DEO & hominibus in amore. Religiosi est, semper idem & eundem esse, in bono vincere malum, in tribulationibus gaudere, in adversis gratias agere, & mansuetissimum Agnum DEI miti & affabili sua conversatione exprimere. O JESU, quod doces me vitæ tuæ exemplo, hoc perfice in me gratiæ tuæ beneficiō. Fac, ut seram mansuetè, quod tolero justè, &c.

LECTIO VESPERTINA.

De immenso bonæ voluntatis bono.

I. Disputant hinc inde Theologi: Utrum actus exterior interiori efficaci per se distinctam bonitatem addat: nec ne. (Apud Patrit. Spor. Tract. proem. c. 3. Sect. 5. §. 4.) Negat Doctor Angelicus, affirmat subtilis: Ille negat, quia sicut tota libertas, ita etiam tota moralis bonitas actui externo præcisè communica-

nicatur ab actu interno, sicutque iste huic nullam poterit addere moralem bonitatem. Hic affirmat, quia non solum efficaciter velle, sed etiam ipso factō v. g. orare, Eleemosynam dare, Martyrium subire bonum, & rectæ rationi conforme est. & sane ex terminis à ratione alienum esse videtur, non plus mereri eum, qui ipsum opus exequitur, quam illum, qui id solum efficaciter desiderat. Ergo qui ipsum opus adjicit voluntati, bonitati addit bonitatem. His non obstantibus.

2. Constat est & Thomistarum, & Scotistarum assertio, etiam actum internum efficacem Deo gratissimum, summeque esse meritorium. Magnus ille Patriarcha Abraham, unicum suum filium sola voluntate DEO obtulerat in sacrificium, & tamen à Deo, pro facto reputabatur. Gen. 22. 16. Apostolorum Princeps propter Christum curtam supplicationem dimisit, & tamen loquitur confidenter Matth. 19. 27. *Ecce nos reliquimus omnia.* In quæ verba Bernardus: Multum deseruit, qui voluntatem habendi dore.

dereliquit. A sequentibus Christum tanta derelicta sunt, quanta à non sequentibus desiderari potuerunt. In Evangelio habes. Matth. 25. quod Dominus duos servos, qui non æquales fecerant fructus, æquali contento receperit. Rationem affert Hieronymus: *Quia non considerabat lucri quantitatem, sed studii voluntatem.* Viduam, quæ duo minuta Gazophilaciō imposuit, Christus præ cæteris collaudavit. Et tamen, Author est Hugo Victorinus l. 2. de Sacra. c. 6. p. 14. *tantum dedit, quantum Zachæus.* Minores facultates ferebat, sed parem voluntatem habebat; si attendas quæ dederunt, diversa invenies, si unde dederint, paria invenies. Prima veritas Matth. 10. 42. Fecit nobis hanc stipulatam promissionem: *Quicunque potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, Amen dico vobis non perdet mercedem suam.* Ubi D. Chrysost. Hom. 27. in Gen. Nunquid poculō aquæ frigidæ tenuius quid est? sed animus pius mercedem inde conciliat. DEUS enim magis respicit ad pium affectum dantis, quam ad rei datæ quantitatem, coram

coram eo nunquam vacua est manus à munere, si arca cordis plena fuerit bona voluntate.

3. Coincidunt verba Jobi dicentis 30. 25. *Flebam quondam super eo qui affligerat, & compatiebatur anima mea pauperi.* Dic, quamnam Eleemosynam in oculis DEI dignorem, magisque meritiam fuisse existimas? an hanc compassionem, an verò argentum, & frumentum, quod, dum dives esset, in pauperes erogabat? audi Gregorium Magnum ita respondentem l. 20. Moral. *Vir sanctus (Job) apud omnipotentem aliquando maius datum noverat mentis esse, quam muneris.* Percipe efficacem rationem: *Exteriora enim largiens, rem extra semetipsum præbuit, qui autem fletum & compassionem præbuit, proximo aliquid etiam de semetipso dedit.* Probè id etiam noverat Seraphicus noster Fundator unde & dicebat: (Bonavent. lib. de Luminar. Eccles. Ser. 5.) *Pauper magis potest esse largus, quam dives: Dives si dat, quidquid habet, deficiet, & confusus est: Si verò non dat, cùm habent, licet vellet dare, si sibi*

non deficeret, voluntas bona est, sed non reputatur pro facto sibi, quia adhuc habet substantiam. Sed pauper, qui nihil habet, qui vellet dare pauperi, & vellet adfiscare hospitalia, non tamen habet, unde in hoc voluntas pro facto reputatur. Fundatur haec doctrina S. Francisci in sententia divi Pauli scribentis 2. Corint. 8. 12. Si voluntas prompta est secundum id, quod habet, accepta est. Adeoque, ut glossat Cornelius à Lapide, perfectio & meritum Eleemosynæ, omnisque virtutis consistit in promptitudine voluntatis, & non in multitudine bonorum; ita ut coram DEO, ubi promptitudo haec major est, ibi major sit & virtus, etiamsi ob paupertatem aut aliam causam in actum externum exire non possit, DEO efficax desiderium operis pro ipso opere acceptante.

4. Versat hanc ipsam quæstionem Tertullianus, de iis imprimis, qui gestunt conferre Eleemosynam, & interim stipem emendicare coguntur; vel qui ambiunt Numini splendidias evehere basilicas, & ipsi vix humili in umbrantur
tugu-

tugurio; vel optarent pro DEO sanguinem fundere, cum interea occasio calva sit. Quæritat ergo hac super re, an hujusmodi desideriorum vir debeat volunti sui prœmiō privari? & respondet: *Nec tunc quidem privatur.* lib. de pœnit. c. 3. Unum enim idemque est quidpiam serio ac efficaciter intendere, ac eò pertingere. Nobiscum est Cassianus Magnus vitæ spiritualis Magister Collat. 6. c. 9. Non pro ventus considerandus est operis, sed operantis affectus. O quoties multi multa offerunt, aut saltem offerre se imaginantur; interim tamen unius mendicabuli præponderat lucellus ex ore sibi subtractus. *Nihil offertur DEO di- tius bona voluntate.* Gregor. Homil. 5. in Evang.

5. S. Mechtildis dixisse fertur (Blos. c. 7. Monil. spirit. Rusbe. c. 20.) *Ajo con-*
stanter qui per voluntatem possum omnia,
omnium labores sustinere, omnium bona
opera exequi, & quidquid demum boni
excogitari potest; si enim haec perfectè vo-
lo, & sola deficit exequendi facultas, omnia
coram DEO fecisse arbitrabor; quando enim

*Sic voluntas est affecta, ut quidquid potest facere, velit, idque non solum nunc, sed etiam si mille adhuc annis superviveret, tunc planè coram DEO totum hoc illi imputabitur, quod tantò interim spatiò annorum perfici posset: Adjungamus sorori sororem Mechtilti Gertrudem, huic Christus revelavit l. 4. c. 17. Qui habet bonam & integrā voluntatem, & libentissimè super omnem creaturam me vellet laudare & amare &c. Ille indubitanter à divina liberalitate mea remunerabitur quandoque copiosius, quam unquam ullus hominum opere potuisse obtinuisse. Sic est, consonat S. Chrysost. Hom. 26. in Matth. *Sola voluntas remuneratur pro bono, & condemnatur pro malo.* Sinè bona voluntate salvari non vales, & cum bona voluntate damnari non potes.*

6. Inferes: Si voluisse sat est, possum facilè, quemlibet sanctorum adæquare, quemlibet divisorum superare, & quovis beatorum majus præmium reportare; possum enim velle omnia omnium sanctorum Martyria subire, omnes omnium divisorum virtutes complecti, omnes omni-

omnium beatorum Eleemosynas profundere. Mi Religiose, haec tenuis dicta, de voluntate efficaci intelligenda sunt, quæ suō desideriō pro posse tendit in ipsum actum externum à parte rei exercendum. Audi Bernardum Epist. 77. ad Hug. Viēt. *Quid planius, quam quod voluntas pro factore reputetur, ubi factum excludit necessitas.* Multa vis, quæ, quod non fiant, non excludit aliqua necessitas, sed tua libera voluntas. Multa tuo languido *Velle* promittis, quæ tamen, positis omnibus ad agendum necessariis, liberè omittis. Emortuum ergo tuum velle non est efficax quædam voluntas, sed tantum inefficax complacentia, somnolenta velleitas, & conditionata volitio, velles totum mundum ad Christum convertere, & Martyrium subire, si nihil propterea pati deberes. Amabo: Quomodo credam te serio optare mille-nis & millenis quotidie sacris interesse, qui unam, quam posses audire, negligis?

7. Hæc tamen non eò dicta sint, quasi efficacis voluntatis bono derogatum velim. Contradiceret mihi magnus Au-
L 2 gusti-

gustinus asserens in Psal. 57. *Quidquid
vis, & non potes, factum DEUS computat;*
Delectatur enim etiam solō amantis de-
siderio. Non est inutilis devotio nec fœ-
minea, inquit pientissimus Lessius de
perfect. divin. l. 12. c. 19. n. 168. Si de-
sideres ut universa creatura tecum, &
propter te DEUM laudet, grates agat,
benedicat, aut ut ipsum DEUM ames,
& laudes, quantum simul omnes beati
in cœlo, vel si optestibi mille vitas, mil-
le corpora, quæ honori DEI expendas;
sunt enim hujusmodi affectus (licet in-
efficaces & rei impossibilis) summi me-
riti, & signa summi in DEUM amoris,
ac gratitudinis, ex quadam animi re-
dundantia sequentes, animo in ejusmo-
di vota præ affectus ardore exextuante.
Sicut enim summæ malitiæ esset tales
affectus sumere in malum: Ita econtrà
maximæ charitatis, immensæ virtutis,
ac summi meriti est eosdem in bonum
usurpare. Hæc Lessius. Sequitur Hugo
de Victore dicens: *Hoc genus orationis
efficaciùs frequenter est, quām id, quō
petitionis modum orantes manifestiùs*

explicamus; hoc enim interest, dum ab homine quidpiam postulamus, & cùm DEUM oramus, quòd homo non possit scire nostram necessitatem, nisi à nobis aut ab alio doceatur: At verò Deus eandem novit, priusquam oretur; sicque DEUS non habet necesse, ut sciat, sed tantum est inclinandus ut annuat, quòd bona voluntas per affectus amoris, desiderii, gratulationis, ac laudis facillimè impetrat.

8. Proinde, si intendas in tantum DEUM laudare, amare, ac prædicare, quantum omnes simul creaturæ cœlestes & terrestres illum laudant, amant & prædicant; in amoro tuo desiderio sibi DEUS complacabit. Si exoptes ex qualibet creatura facere animam, & ex qualibet anima regnum cœlorum, in quo DEUS tantam gloriam, tantumque oblectamentum haberet, quantum ab initio habuit, habet, & habiturus est in humanitate JESU Christi, in ejusdem beatissima Matre, in omnibus Angelis & sanctis, id tibi D E U S ad meritum computabit. Supple igitur bona volun-

tate, quod non habes in tua potestate. Modò in amorosa dilectionis desideria & vota erumpe; modò cum divina maiestate conventiones & pacta erige: Modò etiam aliorum actiones tua intentione deaura, & quasi tuas DEO repræsentata: Modò cum tribus pueris ex abundantia bonæ voluntatis omnes creaturas ad laudandum DEUM invita..

9. Quin imò sola voluntate atque ardentí desiderio Martyris meritum suò modò apprehendere poteris. Apud Deum tanta passus censeberis, quanta pati efficaciter volueris. S. Chrysostomus orat. de S. Eultach. suis identidem inculcabat: *Sæpe numero dixi vobis Martyrem facere non mortem tantum, sed animi quoque propositum.* Non enim eventu solo, sed etiam voluntate Martyrii corona comparatur. Paulus Martyrii adfert definitionem cùm ita dicit: *Quotidie morior.* Quomodo quotidie moreris? propositò nimirum animi, quodque ad mortem sim paratus. B. Lutgardis (Barrius in suis sanctis intent.) aliquando animi magnitudinem S. Agnetis in perferrendis tormentis meditata,

tata, tam vehementi desiderio illam imitandi exarsit, ut ob violentiam fervoris illi vena fuerit rupta: Quō factō illi Christus quām primū spectabilis factus, dixit: Hic tuus amoris actus, & hoc tuum tam sanctum desiderium ita gratum mihi fuit, ut non minus eo pro merita sis, quām si Martyrio & tu ipsa affecta fuisses. Tale Martyrii desiderium eluxit in quām plurimis Seraphici nostri Ordinis Confessoribus: Sic in Patriarcha nostro Francisco, sic in rerum deperditarum Patrono Antonio, sic in glorioso Didaco, sic in S. Paschali &c. non Martyrio voluntas, sed voluntati Martyrium defuit. Domine, paratum cor & corpus meum, paratum ad flagella, ad vulnera, ad mortem. Domine tu scis, quōd malim pro te Martyr interfici, quām omnibus bonis hujus mundi affici. Utinam omnia membra corporis mei per summos dolores & cruciatus vel in unam gustui tuo placentem guttulam eliquarentur? Tyranne & lictor ubi estis?

E X A M E N.

De tempore bene impendendo.

Statuta nostra Generalia rigorosè præcipiunt : Ut ad otium vitandum Clerici compellantur per suos Superioris in occupationibus seu laboribus sibi competentibus exerceri &c. addunt insuper : Notabiliter otiosos debere voce activâ & passivâ privari , ac nullô pacto ad Ordinis officia promoveri , quia de otiosis Religiosis meritò suspicari licet , quod non habeant tutam conscientiam . Concordant hæc cum spiritu Seraphico sanctissimi nostri Fundatoris , qui , teste S. Bonaventura in vit. c. 5. dicere solebat : *Volo fratres meos laborare , & exercitari , ne otio dediti , per illicita corde aut lingua videntur.* Hæc Pater , quid tu ? qualiter pretiosissimum tempus impendis ? quâ horâ surgis ? Spiritus Sancti monitum est : Eccl. 32.15. *Horâ surgendi non te trices.* An sequeris ? elevasne primam mentis cogitationem in DEUM ? quid agis quâlibet horâ ? habesne certum præscriptum diei ordinem ? observasne illum ? an non posses in futurum diem meli-

meliūs distribuere? colligisne minutissimas temporis particulas? quantum temporis orationi, meditationi, lectio- ni, studiō, somnō, colloquiis &c. ex- pendis? an non te inutilibus & frivolis occupationibus ingeris, pro dolor! ma- gna pars tuæ vitæ tibi elabitur male a- genti, maxima nihil agenti, tota aliud, quam deberes agere, agenti. Cūm tui similem, hoc est: huc illucque otiosè va- gantem S. N. P. Franciscus aliquando ostendisset, eum è consortio fratrum expulit, dicens: *Vade viam tuam frater musca, quoniam vis comedere laborem fra- trum tuorum, & ottari in operibus DEI, sicut fucus, apis otiosa, & sterilis, quæ non opera- tur, nec laborat, sed comedit laborem & lu- crum bonarum apum.* Pisanus l. i. confor- mit. 12. & 22.

MEDITATIO TERTIA.

De Passione Domini.

Punct. i. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor sicut do- lor meus. Thren. i. 12. JESUS Nazarenus est Vir & Rex dolorum. Regnat in Re-

gia Calvariæ , in throno crucis , in purpura sui sanguinis, in sceptro clavorum, in corona spinarum. Circumfluunt loco Asseclarum accusatores, loco satellitum latrones, loco cohortis carnifices, loco musicorum blasphemæ. Et ut se verè per omnia Regem dolorum probaret: passus est omni tempore ; in omni loco, omnis generis pœnas, pro omnibus, & ab omnibus hominibus. Passus est internos dolores, quos calici, qui ad intus sumitur, & externos, quos batptismati, quod exterius affunditur, comparavit. Passus est in omnibus membris in capite, oculis, auribus, ore, collō, scapulis, brachiis, pedibus, ac toto denique corpore. Passus est in omnibus bonis in corpore & anima, in intellectu & memoria, in Matre & discipulis, in cognatis & amicis, in fama & honore, in amictu & vestitu &c. Ego quoque, si volo meritoriè pati, debeo à quovis genere hominum quodvis genus molestiarum voluntariè pati. O JESU Rex dolorum, te adorans crucifixum, libens & lubens crucem, quamcunque tu mihi imposueris, feram &c.

Pun-

Punct. 2. Non estis vestri: Empti enim
estis pretiō magnō. 1. Corinth. 6. 20. Si
variis Sanctorum revelationibus credi-
mus, Christus ut nos à servitute diaboli
redimeret, profudit sexages & bis mil-
le lachrymas: (Stanishurstus de Christo
par. ex Barrio bland, p. 260.) Guttas
sangvinis, dum in horto sudaret, 305.
supra nonagies, ac septies millenas: In
flagellatione sexties mille 666. ictus ex-
cepit: Alapas 110. ictus in collo 120. in
capite 85. in ventre 38. in humeris 62.
in brachiis 40. Plus ultra. In faciem ejus
sordida sputa injecta sunt 32. Os illi tri-
gesies contusum: Instar canis pedibus
abjectus centies septuagesies: Capillis
trecenties tractus. Necdum finis. In co-
ronatione 300. vulnera à spinis ei sunt
impressa: Ob nostra peccata & pro no-
stra salute nongenties gemens suspira-
vit: Tormenta quæ poterant ei præsen-
tem mortem inferre 162. subiit: Supre-
mo in agone, quasi jam moriturus, de-
cies & nonies fuit: A Pilati prætorio
usque ad montem Calvariæ portando
crucem 321. passus confecit. Verbō:

nullō calamō describi, nullo ore explicari, & nullo corde concipi potest, quæ, quanta, qualia, & quām multa pro te passus sit JESUS. Hæc cogita, & noli te amplius pro peccatis exhibere venalem, postquam te, tantō pretiō redemptum cognovisti &c. Imitare tuum concrucifixum Franciscum, qui interpellatus: Cur tam tenero affectu, & tam altè, ac apertè ploraret? reposuit: Passionem Christi defleo, pro qua non deberem verecundari, alta voce per totum orbem lachrymari. Pisan. l. 1. confor. 12.

Punct. 3. Christus passus est non solum pro omnibus, sed & pro singulis: Jam non vanè, sed verè cum Paulo gloriari potes, ad Galat. 2. 20. *In fide vivo filii DEI, qui dilexit me, & tradidit semet-ipsum pro me.* Dilexit te plus quam se, quia mori voluit pro te! poterat te redimere uno verbō, unicō suspiriō, unicā lachrymā, voluit tamen extrema quæque pati, funibus stringi, plagis laccerari, sputis foedari, spinis coronari, infami trabe onerari, ac tandem in cruce crudelissimè trucidari, ut erga te amoris

moris sui magnitudinem magis demon-
 straret. Erat paratissimus pro te millies
 & millies dare genas vellentibus, faci-
 em conspuentibus, capillos extrahenti-
 bus, manus pedesque perforantibus,
 totumque corpus percutientibus. Ecce
 quomodo amavit te! hostis eras, mori-
 tur tamen ut vivas. Crucifixi pauper-
 tas est amoris opulentia; quantò enim
 fuit carendo egentior, tantò fuit aman-
 do ditior: Crucifixi sitis amoris æstus
 est; quid autem sit amans nisi amorem
 amati? Crucifixi ignominia amoris est
 gloria, mirare prodigium amoris. Passi-
 onis Martyrium est amoris spectaculum,
 crucis patibulum est amoris miraculum,
 & crucifixus DEUS est amoris trophæ-
 um. Obstupefce amoris amorem. Amor
 hic JESU, ô Religiose, te non solum vulc
 spectatorem, sed etiam imitatorem.
 Amat, ut ametur. Testare tuum erga
 crucifixum amorem in corde affectu, in
 manibus effectu, & in pedibus prosectoru.

D I E S S E P T I M A.
S A N C T O C U J U S N O M E N G E R I S ,
consecranda.

Oratio Jaculatoria : O DEUS , quid mihi est in cœlo , & à te quid volui super terram . Psal . 72. 25.

M E D I T A T I O P R I M A .

De virtutibus in communi .

Punct. I. *Laudemus viros glriosos , & parentes nostros in generatione sua , homines divites in virtute . Eccli . 44. 1. & 6. Veræ enim laudis Mater virtus est . Fecit DEUS lignum , faciens suos fructus , fecit duo luminaria magna , fecit bestias terræ , & reliquas creaturas , & collaudavit illas , quod essent bonæ , fecit tandem & hominem , nec illum , quod sit bonus collaudavit ; quia voluit ; ut homo ipse , liberò dotatus arbitriò , se se virtutum exercitiò bonum laudabilemque redderet ; hominis namque sola ac unica laus virtutum adunatio est . Si divicias , si honores , si voluptates , & omnia excogitabilia hujus mundi bona possideas , & virtutibus carcas , malus es :*

Econ-

Econtra si nihil horum , quæ retuli , te-
neas , & virtutem habeas , bonus es.
Hanc , si habes , habes omnia , hac si ca-
res , nec te ipsum habes ; veræ ergo divi-
tia , non opes sed virtutes sunt , in per-
petuum dives est , qui virtutibus præ-
eminet . Sicut vitium sui ipsius est op-
probrium & supplicium ; ita virtus sui
ipsius est pretium & proemium , quid-
quid pretiosum est , à virtute accipit su-
um pretium : Ideò preciosa castitia ,
ideò temperantia , &c. quia est virtus.
Ais : Sed ardua est ad virtutem via . Ne
despera , dabit DEUS auxiliatrices ma-
nus , dabit posse & perficere , qui spera-
re & conari imperavit . Tu non poteris ,
quod isti & istæ ? Domine DEUS virtu-
tum , da quod jubes , & jube quod vis.

Punct. 2. Virtus non nisi cœlo po-
test compensari . Ibunt de virtute in virtu-
tem ; videbitur DEUS Deorum in Sion . Psal.
83 8. Virtus removet , quæ à DEO nos
separant , vincit diabolum , subjugat car-
nem , spernit mundum : Virtus refræ-
nat passiones , malas consuetudines ex-
tirpat , vitia exterminat , animam exor-
nat ,

nat , mentem serenat , conscientiam pacificat : Virtus bono meditationum semine succrescens, optimis propositis florens, copiosis bonorum operum actibus fructuosa , omnis boni affert abundantiam , tructus ejus sunt gaudium in spiritu , pax , libertas , securitas , meritorum cumulus , mors jucunda , cœlestis gloriæ prœmium . *Omne desiderabile non potest ei comparari.* Prov. 8. 11. Ubi in animo virtus est , ibi , velut in suo sacrificio , DEUS est . Ut quid ergo tergiversaris virtuti pro tam immensis stipendiis deservire ? quid horres in via Domini ? An absterret te mortificatio ? Quid eâ dulcius , quæ cœlesti suavitate compensatur ? an humilitas ? quid eâ sublimius , quæ in æternum exaltata triumphat ? an oratio ? quid eâ dignius , quâ Regum Regi colloquimur ? an charitas DEI ? quid eâ fortius , cui nihil est difficile . Terrent te lingvæ deridentium , quod bene facias ? hæcine contumelia ? terrent te lingvæ carpentium , quod te illis non accomodes ? an hoc tibi in mortis articulo suffragabitur ? terrent te tuæ passiones vin-

cen-

cendæ? noli timere, difficile non est, quod difficile videtur, omnes difficultates subitò evanescunt, ubi generosè inchoaveris. Bonus ac virtuosus esse possum, si volo. Ut quid inanes larvas timeo? &c.

Punct. 3. *Multiplicabis in anima mea virtutem*, orat Regius Psaltes Psal. 137. 3. & nec immerito; una enim virtus, nulla virtus. Ita sibi virtutes cohærent, ut qui unam non habuerit, omnibus careat. In Abrahamo fidem, in Josepho pudorem, in Davide misericordiam non extollerem, nisi etiam constantiæ solsequium, demissionis viola, amoris rosa, virtutis hortum adornâssent. *Virtutes disjunctæ*, consonat S. Gregorius in Moral. perfectæ esse nequaquam possunt, quia nec prudentia vera est, quæ justa, & temperans, & fortis non est: Nec temperantia perfecta, que fortis, justa, & prudens non est: Nec fortitudo integra, quæ prudens, justa, & temperans non est. Aspice colossum Danielis, erat is ab aureo capite fulgidus, ab argenteo pectore illustris, ab æneo ventre solidus, quem tamen pede lute-

luteum lapillus comminuit. Imperfetti
hominis effigies est, quem una passio
nondum edomita sternit, & ad tartara
pertrahit. O JESU virtus in te speranti-
um! adjuva impotentiam meam, da
virtutis cumulum, da virtutis meritum,
da virtutis præmium & salutis exitum.

LECTIO MATUTINA.

De amore Seraphico erga DEUM.

I. O! si Seraphici illi spiritus suis in-
cendiis itellectum meum collustrarent,
ut vel sic divini amoris præminentiam
possem explicare! Verum enim verò,
amor DEI non docendo, sed diligendo
addiscitur: *Nec lingua valet dicere, nec li-
tera exprimere, expertus potest credere,
quid sit JESU M diligere.* Bernard. in Ju-
bil. Simplex anicula potest ex Seraphici
nostrí Bonaventuræ sententia, DEUM
non minùs diligere, quàm sacræ Theo-
logiæ Doctor. Hinc ille Theologus (spec.
exemp. tit. dil. exempl. 2.) ad illam ma-
jorem: *diliges Dominum DEUM tuum ex
toto corde tuo: optimè est argumentatus,*
quando è schola discedens, interroganti
hanc

hanc subintulit conclusionem : Ante-
quam plūs audiam, volo hoc opere com-
plere, moxque Religionem est ingressus.
Pulchritudine id David indicavit , dum can-
tavit Psal. 79. 2. *qui sedes super Cherubim.*
Vult dicere , ut glossat h̄ic Hugo Card.
DEUM non in Cherubinis, sed Seraphi-
nis , qui Cherubicis spiritibus immedia-
tè supereminent , sedem suam elegisse.
Cherubin *plenitudo scientiæ*, Seraphim
autem *ardor* interpretatur. Quō mani-
festē instruimur , quod DEUS non in
doctis , sed in iis , qui divino amore fla-
grant, sedeat ; illi scilicet DEUM intra se
quiescere faciunt , qui illum non ob ti-
morem pœnæ , non ob spem præmii , sed
ob suam divinam bonitatem diligunt.

2. Seraphini ab ardore & igne nomen
trahunt, sunt in Hierarchia Angelica su-
p̄imi , amore divino ardentes , & alios
succidentes , tāque de causa DEUM
amantium imaginem exhibent , duas
alas ad volatum expandunt ; totidem
quoque Seraphini terrestres habent, ni-
mirum : amorem affectivum & effecti-
vum. Alā amoris affectivi in DEUM e-
volas ,

volas, quando ex consideratione divinæ essentiæ, perfectionum, operum, beneficiorum &c. DEO ter optimo faves, atque congratularis omne & infinitum bonum suum, tibique in ejusdem bonitate coinplaces. Item: quando exultas ac jubilas, quod DEUS sit DEUS, quod sit, qui est, tantus ac talis, cui non invenitur æqualis. Deinde quando amoris excessu abreptus optas atque desideras, amare DEUM amore omnium Angelorum, omnium Sanctorum, omnium creaturarum, imò etiam amore ipsius DEI. Denique quando vis & cupis frequenter conversari cum DEO, eidem magis uniri in hac vita, & citius frui in patria. Tandem quando in tuis miseriis te ipsum consolaris, quod licet tu infelix patiaris, DEUS tamen invariabiliter sic longè felicissimus, beatissimus, glorio-
sissimus. Demum quando affectibus, verbis non explicabilibus, congaudes ac condelestanteris de incomprehensibili glo-
ria dignitate Domini DEI tui, atque etiam pro beatitudine tua ducas, quod illa majestas tantam excellentiam, potesta-
tem

tem &c. obtineat, cui nihil addi aut demi potest. Postremò quando amore DEI liquefactus in divinæ essentiæ infinitatem quodammodo transis ac desinis, ita ut cum Apostolo dicere possis, ad Gala.

2. 20. *Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus.* DEUS meus magis est mihi ego, quam ego ipse mihi sum: Illum magis pro meo habeo acceteneo, quam unquam aliquid pro meo habui accetenui.

3. Et hæc amantis in amatum transformationis propria Seraphinorum est, hi per excessivi amoris copiam adeò cum DEO uniti sunt, ut ab eodem separari minimè possint, *Ipsa charitas DEI inquit Mellifluus Abbas Ser. 19. in Cant. Seraphim adeò in se traxit, & absorbuit, atque in eundem rapuit sanctæ affectionis ardorem, ut unus cum DEO esse spiritus videantur.* Unit amor amantes, ille in isto, & iste in illo vivit, alter alteri, uterque utrique traditur. *Esto tu DEI, & DEUS erit tui.* S. Cyprian. Ser. de Ascen. Adhære DEO, & efficieris quasi unus spiritus cum eo. *Stans in terra, in cælo es, si diligis DEUM.* S. August. in Psal. 85. vertex felicitatis in

in cœlo est, videre & diligere DEUM, apex felicitatis in terra est, sperare, desiderare, & amare DEUM, & desiderare amare DEUM, est ipsissimum amare eum.

4. Seraphici illi spiritus adeò congaudent, ac condelectantur DEO, ut malent sua beatitudine privari, quam DEUM vel in minimo contristare. Quod Seraphini faciunt in cœlis, hoc tu Seraphici Ordinis alumnus facias in terris. Ama DEUM non solum amore complacentiae, sed etiam amore desiderii. Opta & desidera DEO tuo omne bonum ejus extrinsecum, tanquam nondum habitum; nimirum majorem gloriam, honorem, obsequium, ac beneplacitum, quod in eo consistit, ut nomen DEI sanctificetur, & glorificetur, ut ab omnibus laudetur & ametur, ut ei perfectè obediatur & serviatur, ut in omnibus sanctissima ejus voluntas cognoscatur & compleatur. Hoc Seraphico amore succensus eo ipso detestaberis, ac amovere, abolere, & destruere affectabis omne malum DEI extrinsecum, omne impe-

impedimentum gloriæ divinæ, omne tam tuum quām alienum peccatum, quō DEUS offenditur, irritatur, ac velut molestiâ afficitur. Et hoc est, quod Seraphicum nostrum Jacobonum ad amaras compulit lachrymas, quod amor non ametur. Maximus amantis est dolor, tam rarus in terris DEI amor. Amatur omne, quod odio dignum est, & amor non amatetur!

s. Verum enim vero diabolus se transfigurans in formam Seraphim, diabolus manet; ita hic amor affectivus, practicè loquendo, sæpe sæpius fallibilis est. Myriades hominum sunt, qui interrogati, num ament DEUM, promptissimè reponunt: Utique. Utinam non offenderetur! utinam eum omnes agnoscerent! & ipsi interim ad procurandam in se & aliis DEI gloriam, ne pedem quidem movent, imò hærent in luto peccatorum, defectuum & imperfectionum, absque ullo proposito efficaci illinc emergendi. Amor hic nullus est, quomodo enim diligis, quem offendere non desinis?

6. Seraphici illi spiritus in puerili de-
pinguntur specie, ut per hanc summa
illorum detur intelligi puritas, utpote
qui semper pueri, hoc est: puri primam
suam innocentiam conservant; Ergo si
vis Seraphim esse, debes amori affecti-
vo effectivum adjungere, & à peccato
purus esse. *Hec est charitas DEI, ut man-
data illius custodiamus.* I. Joan. 5. 3. Ope-
ra, opera sunt lapis Lidius, quō verus
amor comprobatur, quem abundē ex-
hibebis, si vocabulum *amore*, dempta
semper litera, recte divisoris. Sincerus
enim *amor DEI* in corde rudimenta po-
nit, extrā *moribus* declaratur; *ore* prodi-
tur, *re ipsa* completur. Et hinc diligere
DEUM, est quām diligentissimē suas
actiones in DEUM referre, humanos
respectus contemnere, propriam com-
moditatem in nullo querere, cor ab o-
mni creatura vacuum habere, & vel ad
nudum peccati nomen contremiscere.
Diligere DEUM, est omnia, quae DEI
sunt diligere, res ei consecratas in ma-
ximo honore habere, sāpius de DEO
cogitare, libenter loqui, & quām arden-
tissi-

tissimè ad ejus præsentiam anhelare. Diligere DEUM, est divinæ gratiæ studio-sè cooperari, DEI voluntati se totaliter submittere, omnia adversa gaudenter sustinere, atque fervidum divinæ laudis zelatorem agere.

7. Divini Seraphini, quos Isaias c. 6. vidit alas habuisse describuntur: *Sex ale uni, & sex ale alteri.* Habet amor alas suas, quibus à se avolat, & in amatum involat. Has amantissimus Dominus nobis inferere voluit, dum magnum charitatis mandatum proposuit, dicens Matth. 22. 37. *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua,*
& ex tota mente tua. Addit Marcus 12. 30. *Ex tota virtute tua.* Congerit Lucas 10.

27. *Ex omnibus viribus tuis.* Et Originale Deuteronomii 6. 5. *Ex tota fortitudine tua.* Esto Seraphim: Habeat primam alam cor tuum, ut ad DEUM evolet, totum cor creavit DEUS, totum exigit, competitorem & rivalem non patitur, nec vult cum affectu vili mundanoque commisceri. Gerat secundam alam *anima,* DEI imaginem referens; ideo enim

facta est DEO similis, ut eum unicè amaret. Mente elevet ala tertia, & per orationes, meditationes &c. illuc tendat, unde sumpsit originem. Moveat in altum ala quarta totam tuam virtutem ita, ut imperialis amor totale in te habeat Dominium, omnes actiones, non solum à te in statu gratiæ existente procedant, sed etiam per expressum charitatis imperium eliciantur. Quinta ala addat omnibus viribus tuis, ut omnes utriusque hominis potentiae in DEUM ordinentur. Quidquid intellectus concipit, voluntas appetit, sensus percipit, in dilectum referatur. Ala sexta ex tota fortitudine tua superet omnia: ita ut neque tribulatio, neque tentatio, neque persecutio, neque ulla passio, te à tuo dulcissimo amore possit separare.

8. Abbas Bessarion moritus omnibus Religiosis locò testamenti sequentem doctrinam reliquit: *Monachus debet esse inßar Cberubin & Seraphin.* Paciuchell. in Joan. Lect. 20. Non es Seraphici Ordinis membrum, si Seraphico amore non diligas DEUM. Diligit nos DEUS tan-

tanquam sua viscera, diligamus nos Deum super omnia. Cùm Marcus Cortoniensis cogitaret Ordinem nostrum deserere, quia non permittebatur suis orationibus vacare, sed mittebatur foras ad mendicandum; Tunc Christus ei apparuit, atque severa voce dixit: *Vade Aposta-
ta, quocunque placuerit; quomodo possum
tibi favere, cùm cogites Ordinem deserere,
quem ego tantopere diligo?* Chron. Min.
part. 3. l. 7. c. 42. in funiculis charitatis
traxit te DEUS ad Ordinem tantopere
à se dilectum, & collocavit te in Seraphica Religione, ut Seraphinorum mo-
re jugiter ejus arderes amore, Ordinem
tuum deseris, si ardere & Seraphim esse
desiris. Dum per votum obedientiae
amori proprio, per votum paupertatis
amori saeculi, & per votum castitatis a-
mori carnis renuntiasti, cor tuum amo-
ri divino consecrasti, téque ad perpetuum
Seraphicum incendium obligasti,
redder jam quod debes, non poteris ni-
mum diligere, te nimia charitate dili-
gentem.

9. *Nomen Seraphim* (uti Doctor An-
M 2 geli-

gelicus advertit. p. 1. q. 108. a. 5.) non imponitur tantum à charitate, sed à charitatis excessu, quem importat nomen ardoris vel incendi. Seraphici enim illi spiritus à charitate totaliter ignei intensissimo, continuo, ac inextinguibili amoris actu in DEUM summè dilectum feruntur, aliosque ad idem incendium promovent. Genuinus DEUM amantis character est, vivere excessibus, velle quæ fieri nequeunt, semper ardere, & alios in amorem amati trahere. Reponis: Non possum esse Seraphim, corpore, & fomite peccati, obscuritate cognitionis, & infirmitate voluntatis, millenis distractionibus & imperfectiōnibus impedior. Non potes sequi Seraphim in patria commorantem, sequere ergo vulneratum tuum Seraphim in via peregrinantem. Audi Seraphim alterum ad alterum clamantem, doctorem Seraphicum Patrem suum depraedicantem: vit. c. 9. Charitatem ferventem, inquit, quā Sponsi amicus Franciscus ardebat, quis enarrare sufficiat? totus namque quasi quidam carbo ignitus divini amoris flammā videbatur absorptus. Subito enim ad auditum amoris

amoris Domini excitabatur , afficiebatur , inflammabatur quasi plectro vocis extrinsecè chorda cordis interior tangeretur. Non habebat aliud Christi pauper , nisi duo minuta , corpus scilicet & animam , quæ posset libera li charitate largiri. Sed bac per amorem Christi sic offerebat continuè , ut quasi omni tempore per rigorem jejunii corpus , & per ardorem desiderii spiritum immolaret , exterius in atrio sanctificans holocaustum , & in templo interius concremans thymiamam. Tanti Patris exemplò edoctus ama amorem ; omnes enim causæ , quæ amorem merentur , in D. E. O eminentissimè inventiuntur.

10. O igitur Seraphicæ mentes ! O ardentissimi Spiritus ! O exæstuantes divinis ignibus clibani ! promovete me ad amorem , communicate mihi flamas de vestris incendiis , ut DEUM meum verè , sincerè , ferventer , fortiter , ac ardenter amare queam. Patefiant cœli , & igneus imber depascat me , ut ex nunc amare incipiam , & amplius amare non desinam.

EXAMEN.

De lingvæ refrœnatione.

Si quis putat se Religiosum esse, non refrænans lingvam suam, sed seducens cor suum, bujus vana est Religio. Jacob. 1. 26. Ut ergo non in vanum sed in verum Religiosum evadas, necesse est, ut quid, cui, ubi, quando, & quomodo loquendum sit, addiscas. Doctissimus Drexelius tibi Alphabetum in schola silentii declinandum sub sequenti formula proponit. **Adulatio, blasphemia, convitium, detracțio, exprobratio, fraus, garrulitas, hypocrysia, imprecatio, calumnia, lascivia, mendacium, nugacitas, ostentatio, perjurium, quærimonia, rixa, susurratio, turpiloquium, vituperatio.** Qualiter didicisti hoc vitiorum A. B. C. declinare, & actus bonæ lingvæ conjugare? indecorum est, voce clamorosa uti, ridere altiori sonitu, cachinnos sonoros edere, alterius sermonem interrumpere, ferventiūs contendere &c. An non in hisce reuses? asvesce potius virtuosæ lingvæ, disce DEUM laudare, prædicare, orare, benedicere, eique in omni-

omnibus gratias agere &c. disce proximum instruere, corrigere, admonere &c. disce tempore colloquii, loqui de vita Christi & Sanctorum, præsertim tui Ordinis, de tuis Regulis, statutis, cæremoniis, rubricis, de lectione mensali, de Theologia morali, de modis juvandi proximum, ac denique de omnibus iis, quæ animum relaxant, & proximum ædificant.

MEDITATIO SECUNDA. De infinito DEI amore erga nos.

Punct. I. *DEUS charitas est, & qui manet in charitate, in DEO manet, & DEUS in eo.* I. Joan. 4. 16. Tantus amor DEI est erga te, quantus DEUS ipse est in se. Nihil est in DEO, quô te non amet DEUS. Amat te DEI potentia, & conservat, DEI sapientia, & te illuminat, DEI providentia, & te gubernat, DEI misericordia, & te adjuvat. Nemo amatorum carnalium ita exardescere potest in amore dilectæ suæ, quemadmodum DEUS effunditur in amore animarum nostrarum. Nullus Pater sic diligit pri-

mogenitum, nulla Mater sic unigenitum, nullus Sponsus sic Sponsam: sicut me & te, & quemlibet hominum diligit DEUS, quiescat jam DEI sapientia in excogitando, misericordia in conando, bonitas in amando, quomodo ultra nobis possit benefacere, nihil enim superstes, quod pro salute nostra non fecerit DEUS. Age anima mea, amorem hunc essentialem, quō potes amore prosequere; nec enim potes aliquid melius, quam amare, nec ad aliquid perinde ac ad amorem obligaris, nec aliquid tibi dignius, facilius, utilius, jucundiūs, quam amare illum, qui ab æterno te amavit, & in æternum amabit &c.

Punct. 2. Sic DEUS dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Joan. 3. 16. Si quid melius Pater habuisset, dedisset. Potestne Pater aliquem plus diligere, quam Filium suum unicè dilectum? Ecce! hunc tamen propter nimiam charitatem erga te, tradidit propter & pro te, an non sat caro emitur amor tuus? Filius dilexit te plus quam se, quia mori voluit pro te. Diligit Ethnicus diligen-

ligentem se , & non diligit Religiosus morientem pro eo ? triumphat de D E O amor. Ex amore hominis , homini hypostaticè unitus est DEUS , & non alteri creaturæ. Amor fecit Filium DEI Filium hominis , amor inclinavit in præsepio , amor cruci affixit , amor occidit. Spiritus Sanctus amor est , suisque donis ac bonis te illuminat , amat , sanctificat. Amat DEUS hominem toto universo , omnes creaturas , etiam ipsos Angelos , in ministerium hominis ordinavit. Quousque amor non amabitur ? potes , si velis , DEUM amare , toties id posse , & non facere , an non omni malo malum majus est ? dilecte mi , possumne te cogitare , & non amare ? possumne recolere tuam bonitatem , & non exardefcere ? tuam beatitudinem , & non colliquescere ? tuam charitatem , & non transire in amorem ? &c.

Punct. 3. Dominus DEUS tuus ignis consumens est. Deut. 4. 24. Tantâ amoris vehementiâ nos DEUS diligit , ut non solum igneus , sed etiam ipsissimus esse ignis dicatur. Diligit DEUS hominem ,

& homo factus est , ut homo amando
DEUM-hominem **DEUS** fieret. Diligit
DEUS peccatores ; si enim eos non dile-
xisset , nunquam propter illos de cœlo
descendisset. O ! quot scenas peragit , ut
ametur ! blanditur ut Sponsus , juvat ut
Pater , succurrit ut frater , ministrat ut
servus , sanat ut medicus , patitur ut re-
us. Quasi verò **DEUS** miser esset , si aut
nos amaret , aut à nobis non amaretur.
Insuper dat se totum in cibum , potum ,
preium , & prœmium ; idque non ob
aliam causam , quām quia amat , ama-
rīque desiderat. Si hæc parva sunt , dic ,
quō pretiō amorein amare velis ? pete
& exige cum audacia , quidquid postu-
labis , impetrabis , bonum illud non erit
extra & supra beatitudinem , quæ est
collectio bonorum omnium , hanc au-
tem **DEUS** promisit , dabitque diligen-
tibus se. Domine , amas me , amo te , tu
quod es , meus es , ego quod sum , tuus
sum , quantum te amem tu scis , parūm
te amarem , si possem magnitudinem
mei amoris verbis explicare , &c.

LECTIO VESPERTINA.

De dilectione Proximi.

1. Sicuti Seraphici illi Spiritus amorem DEI , ita & corporis nostri membra dilectionem proximi significant , edocentque . *Sicut in uno corpore multa membra habemus , omnia autem membra non eundem actum habent ; ita multi unum corpus sumus in Christo , singuli autem alter alterius membra.* Rom. 12. 4. Unum corpus est Ordo Religiosus ; ergo à membris corporis addiscamus unitatem animi . Membrum unum ab altero separari , quām maximē reformidat : Pari modo & nos omnem divisionem , omnem dissensionem , omnem charitatis læsionem vehementissimē timeamus , soliti semper servare unitatem Spiritūs & fraternalē charitatis . Membrum membro non invidet ; ita nemo nostrum confratri suo aut dignius officium , aut ingenium excellentius , aut gratiam sibi non concessam invideat . Unum membrum ab altero læsum non se vindicat ; ita & inter nos non sit vindictæ locus , nulli malum pro malo reddamus . Unum membrum

alterius officio se non ingerit , singula
enim suis inhærent actionibus; ita no-
strūm quisque commissam sibi functio-
nemobeat, & stabit pax atque unitas,
Unum membrum alterum non despi-
cit ; sic nos non debemus despicere in-
firmiores & ignobiliores. Unum mem-
brum in periculo se exponit pro alio, vel-
ut manus opponit se ad iectum averten-
dum à capite , ita & nos pro fratribus li-
benti animo quidpiam sustineamus, ex-
emplō Christi capit is nostri , pro mem-
bris suis & verbera & vulnera , imò &
ipsam mortem perpeti non dedignantis.

2. Caput nostrum Christus est , &
nos membra ejus, Christum non diligit,
qui ejus membra negligit. Tanta in hu-
mani corporis membris inest copula , tantus
amor , tamque inseparabilis & insuperabilis
dilectionis unitas , ut unum sine alio non va-
leat gaudere. Latitia illis communis est, pœna
equalis , ita quod uni tribuitur, cetera se re-
cepisse gratulentur. Laurent. Justin. de
ling. vit. c. 17. & l. de discip. c. 4. Ita e-
tiam Christo fit , quod corpori Christi ir-
rogatur , dicente illo Matth. 25. 40. A-

men

men dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his
 fratribus meis minimis, mihi fecisti. Et ad
 Saulum Act. 9. 4. Saule, Saule, quid me
 persequeris? bene hic advertit Augusti-
 nus tract. 28. in Joan. quod Saulus non
 Christum, sed membra, hoc est fideles
 ejus sit persecutus: Noluit tamen dicere
 sanctos meos, servos meos, postremo honorabilius
 fratres meos: sed me, hoc est membra
 mea, quibus ego sum caput. Dignum est, ut
 nos membra sequamur, quo caput no-
 strum praevit, praevit Christus, & præ-
 cepit Joan. 13. 34. Mandatum novum do
 vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.
 Dilexit nos Christus dulciter absque a-
 maritudine, sed ex benevolâ affectione
 bonum nobis volens, sovens, favens, &
 faciens: Dilexit nos liberaliter absque
 intuitu mercedis; bonorum enim no-
 strorum non indiget: Dilexit nos effica-
 citer, absque fictione, sed opere & veri-
 tate, omnibus benefaciendo, docendo
 universos: Dilexit nos sapienter absque
 errore, procurando illa solùm bona, quæ
 verè nobis sunt salutaria. Sic ergo & nos
 diligamus invicem; fratres enim sumus.

*Ecce quām bonum, & quām jucundūm habi-
tare fratres in unum. Psal. 132. 1. Nihil
æquè oblectat animum, ac hæc fraterna
charitas, nullum habet laborem, in-
gentem verò voluptatem.*

3. Ablata unione, corpus corruat,
necessæ est, & extincta charitate, dissol-
vitur omnino Religio. Econtra verò
quemadmodum corpus nostrum per u-
nionem partium suarum, bene disposi-
tarum, sibique invicem succurrentium
subsistit: sic similiter congregatio Reli-
giosa formatur, & firmatur in suo esse
corporis moralis, si singula membra stri-
ctam unionem habeant, sibique invi-
cēm per vinculum mutuæ charitatis fir-
miter cohærent. O ter, quatérque bea-
tam Religionem! cuius membra frater-
næ dilectionis spiritu compaginantur.
Eugenius Papa IV. in literis datis ad fra-
trem Albertum de Sartiano tunc Vica-
rium Generalem, Seraphico nostro Or-
dini sequens præclarum dedit elogium:
*Ordo tuus, inquit, in Seraphicæ charitatis ar-
dore à principio fundatus, tanquam fœcundus
plantationum hortulus, uberrimos hucusque
pro-*

protulit fructus. Dum enim plantati ex prima beati Francisci vite palmites, in Religione, honestate, sanctimoniam, imprimis ipsa charitate exculti fuerunt; instantum est ea plantatio propagata, ut per universum orbem diffusa, maximisque sacrarum literarum veritatibus, humilitatis & patientiae divitiis abundans, populos replete, saginatque divini eloquii pabulam, & pulsis ignorantiae tenebris, sanctae conversationis amore desiderioque inebriet. Et orbis terrarum, in cuius singulas penè particulas penetrastis, illam ipsam quam in vobis viderit, senserit, odoraverit, ardeat charitate, faciatque exemplum à vestra vita sumptum, ut quod vobis maximum, & in intentione primarium esse debet, animas vestras vel ea ratione salvas faciatis, quia proximas inde curabitis lucrifacere. Hæc Pontifex, in cuius argumentatione notandum venit, quod sicut speravit exemplum fraternalis charitatis profuturum aliis ad ædificationem, & nobis ad salutem; ita exemplum discordiae, futurum si mundo in scandalum, & nobis ipsis in damnationem.

4. Posuit DEUS membra unum quodque
eorum in corpore sicut voluit. 1. Cor. 12. 18.
Ut sibi invicem cohærerent, & ita unita
mortem arcerent. Hanc ipsam unionem
ac dilectionem Apostolus ad Col. 3. 14.
in corpore morali requirit, quando scri-
bit: *Super omnia autem charitatem habete,*
quod est vinculum perfectionis, & pax Chri-
sti exultet in cordibus vestris, in quo & vo-
cati estis in uno corpore. Anima non vivi-
ficat disjuncta membra, nec Spiritus
Sanctus Religiosos per discordias & scis-
suras ab invicem separatos. Ubi charitas
est, ibi DEIIS est, DEI erimus, si unum
fuerimus. Sit igitur in nobis unio intel-
lectus & judicii, ut idem sapiamus, ac
in veritatibus credendis, & præceptis
admittendis sine contentione conveni-
amus. Sit unio voluntatum & cordium,
ut unanimes idem fugiamus ac diliga-
mus. Sit unio in DEO & cum DEO,
ut sic uni tertio, scilicet DEO, uniti, in-
ter nos, unum simus. Sit unio affectio-
nis & dilectionis, ut confratres nostros
non carnaliter sed spiritualiter, per DE-
UM, secundum DEUM, propter DE-
UM

U M & in D E O diligamus, ac omnes particulares amicitias penitus abscindamus.

5. Divinissimi nostri medici consilium est Matth. 18. 8. *Si manus tua vel pes tuus scandalizat te; absconde eum & projice ab te.* In Religionis corpore illi Religiosi putrida membra sunt, qui particulares amicitias ineunt. In quos S. Basilius Ser. 1. de Instit. Monach. *Si quis inventus fuerit, qui majori quadam animi propensione Monachum fratrem, vel propinquum, vel alium quemvis quavis de causa videatur diligere, hunc castigare opportebit, ut injurium publicæ charitati.* Injurias aliis fratribus faciunt, qui particulares amicitias nutriunt quia, Religiosi unius familiæ obligantur se mutuo diligere charitate æuali. Cùm interim tamen hujus farinæ singularistæ reliquos contemnant, quasi ob malas quasdam qualitates eorum amore & alloquo essent indigni. Insuper in suis clandestinis conventiculis ac conferentiis ordinariè sibi arrogant libertatem omnes alios censurandi: Formant conceptus in apparentia speciosos,

os, & infundo perniciosissimos, judicia temeraria, calumniæ & detractiones transeunt inter eos pro consultationibus, & per tam arctas sibi invicem adhærescunt intelligentias, ut qui tangit unum, tangat & alterum. Et quid inde? Murmurationes, discordiæ, factio-nes, & miserabiles in Conventu confu-siones. Jam mitte manum in sinum con-scientiæ tuæ, & disquire, an omnes æ-quali amore diligas? ita te gere, aliósque dilige, ut sis sanum membrum in cor-pore.

6. *Multa quidem membra, unum autem corpus. Non potest autem oculus dicere manus operatua non indigo: aut iterum caput pedibus, non estis mihi necessarii: sed multo magis que videntur membra corporis infir-miora esse necessaria sunt.* I. Cor. 12. 20. & seq. Ergo pro conservatione corporis requiritur, ut quodlibet membrum al-teri ancilletur; si unum alterum desti-tuat, necesse est, reliqua langvere, he-bescere, fatiscere, perire. Simillimè in corpore Mysticō alter alterius indiget auxiliō, & sic diligendo confratrem, te-ipsum

ípsum diligis, quia ejus ope in tuo esse conservaris. Ais: Abhorret animus à dissoluto, indisciplinato, & malè morato confratre meo, & quomodo potero amare eum? amore meo indignus est. Siccine Christi sangvine redemptus tuo amore est indignus? Christus ascendens in cœlum reliquit tibi suum substitutum in terra, & vult, ut huic præstes, quod Christo debes, cùm ergo Christo omnia debeas, æquum est, ut ipsi debitum in suo substituto solvas. Duplex est debitum charitatis: Primum præcipit: Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Matth. 7. 12. Secundum prohibet: Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias. Tob. 4. 16.

7. Corporis membra pro se invicem summè sunt sollicita: Flamma pedem corripit, mox manus eam amovere satagit. Verbo: Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra. 1. Corinth. 12. 26. Hanc compassivam dilectionem sanctissimus Patriarcha noster à suis exigebat, dicens c. 6. Reg. Ubi-

cunque sunt, & se invenerint fratres, ostendant se domesticos invicem inter se, & securè manifestet unus alteri necessitatem suam: quia si Mater nutrit & diligit filium suum carnalem; quanto diligentius debet quis diligere & nutrire fratrem suum spiritualem: & si quis eorum in infirmitatem ceciderit, alii fratres debent ei servire, sicut vellent sibi serviri. Præceptum hoc Francisci conforme est mandato Christi. Marc. 12. 31. *Diliges proximum tuum tanquam te ipsum.* Supererogatoriè hoc suò exemplò noster Frater Accursius edocuit. (S. Antonius p. 3. tit. 24. c. 9. § 5.) Cùme-nim illi in capella infirmariæ oranti B. Virgo & S. Antonius Padvanus, atque B. Lucidus apparuissent, fuit eò consortiò indicibiliter recreatus. Interea audiebat fratrem quemdam infirmum clamantem, suæ commissum custodiæ. Illicò, ut audivit, totus compassione permotus, DEI Matre relicta aliisque sanctis, ad infirmum cucurrit, eique necessaria ministravit. Quod adeò gratum Deipara habuit, ut eum iterum suâ fuerit præsentia dulcique alloquiò dignata consolari.

8. Mem-

8. Membra corporis intra se pacifica sunt, fraternæ charitatis leges perfectissimè custodiunt, & sic quodammodo cœlestis patriæ imaginem referrunt. Sicut pes, inquit S. Anselmus l. de beatit. non supit esse manus, sed sua sorte contentus est; nec auris querit esse oculus, sed suō officiō & loco quiescit: Ita pariter & sancti Angeli in cœlo, & homines bene Religiosi in terra statu ac gradu suō contentissimi vivunt, nec altiora ambiunt. Est Religio quoddam cœlum, si à Religiosis eæ leges fraternitatis observentur, quas S. noster Bernardinus annotavit. Tom. 5. in Apocal. c. 6. 11. Nempè 1. ut fratri nec verbō nec signō noceant. 2. Offendenti misericorditer indulgeant. 3. De malo fratris condolent. 4. De bono suo congaudeant. 5. Fratris scandalum præcaveant. 6. Offenso fratri sинe dilatione satisfaciant. 7. Et in necessitate subveniant. 8. Causam fratris non negligant. 9. Fratrem delinquentem charitatib[us] corrigant. 10. Charitatem cum fratre habeant. 11. In casu periculi pro fratre animam exponant. Tanquam unius corporis partes alter alteri

*alteri deferamus, nec detrahendum quidpiam
unius corporis membro putemus.* S. Ambro.
l. 3. Offic.

E X A M E N.

De humilitate.

Varii varios assignavere humilitatis gradus, magnus Patriarcha Benedictus cum S. Thoma 12. S. Ignatius cum Seraphico Bonaventura. 3. Cassianus. 10. Anselmus. 7. Ex omnibus sequentes sunt potiores: 1. seipsum despicer. 2. sibi ipse diffidere. 3. nolle laudari & honorari. 4. querere contemni. 5. de nullo conqueri. 6. defectus proprios libenter detegere. 7. omnibus se subjicere. 8. humilia officia appetere. 9. se omnium minimum, ad omnia inutilem, & ipsis divinis donis indignum reputare. 10. In confusionibus, accusationibus, increpationibus, silentium servare. In quonam hujus cœlestis scalæ gradu consistis? bone DEUS! ne cum infimum attigisti, Imò insuper inordinate humanas laudes, adulaciones, promotiones ac dignitates appetis, alios contemnis, tuò judi-

judiciō pertinaciter adhærescis, tibi ipsi,
nescio quæ attribuis, hæc cne vita Re-
ligiosi? Tunc se monachum quisque judicet,
quando se minimum estimaverit, etiam
cum majora virtutum opera gesserit. Isid. de
sum. bono!. i. Et sanctissimus noster Pa-
rens ideo filios suos vocavit *minores*, ne
præsumant fieri *majores*. Verus ergo mi-
nor se omni honore, consortiō, com-
modō, locō, viētu, vestitu, indignum
existimat, censesne ita? &c.

MEDITATIO TERTIA.

De humili sui ipsius cognitione.

Punct. i. Moyses DEI nomen per-
scire volens, à DEO accepit responsum:
Ego sum, qui sum. Exod. 3. 14. Mirum!
quomodo ex hoc nomine Istraëlitæ DE-
UM cognoscent? nonne & reliqua sunt?
respondebat noster Lyranus: Non esse
convenit creaturis, quantum ex se, sed
esse suum à DEO habent; si ergo DEI
nomen est esse, hominis erit nihil esse.
Fidei admoto lumine, te ipsum quare,
& ubi à te separaveris, quod DEI est,
ubi te non alium, quam ante mille an-
nos

nos eras , consideraveris , verbo : Ubi nihil inveneris , ibi te ipsum invenisti . Ante mille annos gerebantur prælia , construebantur ædificia , ac fiebant mille & mille alia , & hæc omnia sinè te , nondum tunc habebas animam , corpus , vitam , nec ullum jus aut meritum , ut essem , quod tunc eras , ex te etiamnum es . Te ipsum turpissimè decipis , si te ex te ipso aliquid esse credis . Sapias jam cum sapientissimo , qui de seipso fatetur : *Ego Ecclesiastes fui Rex Israël in Jerusalem.* Eccles . 1 . 12 . *Fui* , jam non sum exponit hunc locum Hugo de S . Victore ; quia etsi sum , id ipsum tamen nihil esse cognosco , quod sum . Deplora tuam cætitatem , quod te haec tenus adeò æstima- veris , & actus fidei elice , quod ex te nihil sis & possis , &c .


Punct . 2 . De DEO scriptum est : *Ipse solus est . Job . 23 . 13 . Creaturæ enim , sub- infert S . Gregorius 16 . Moral . c . 16 . Prin- cipaliter non sunt , quia in semetipsis minime subsistunt , cunctæ ex nihilo facta sunt , eorumque essentia ad nihilum tenderet , nisi ea Au- thor omnium , regiminis manus teneret . Se- mel*

mel ergo pro semper verum est: Omnia de nihilo qui fecit, is omnia solus, quod DEUS ex nihilo fecit id omne nihil. Nihil scis, & nihil facis, nisi te nihil facias, & nihil existimes. Ubi te ipsum despexeris, ibi te DEUS respiciet. *Hæc est in omnibus sola perfectio, suæ imperfectionis cognitio.* S. Hieronymus Epist. ad Theodoret. Nemo scit, quanta, & quām multa nesciat, nemo novit seipsum, homo est quoddam incognitum nihilum; hinc est, quod Propheta exclamat. Psal. 72. 22. *Ad nihilum redactus sum, & nescivi.* Quantum scilicet natura vacuum horret, tantum humilitas ambit. Franciscum cogita: Bene sciebat hic sanctus tuus Pater, quod ex natura nihil sit, & solius naturæ viribus nihil possit; hinc (S. Bonavent. vit. c. 6) Malebat de se vituperium audire, quam laudem, sciens, quod illud ad emendandum impelleret, hæc vero ad cadendum induceret. Et ideo sæpe cum populi in eo merita sanctitatis extollerent, præcipiebat alicui fratri, ut in contrarium verba ipsum vilificantia suis auribus inculcando

do proferret. Ad DEUM quoque jugiter suspirare solebat (Cornelius à Lapide in Eccles.) *Quis ego sum Domine? & quis tu? ego abyssus vanitatis, ignorantiae, malitiæ, & nihil: Tu abyssus veritatis, sapientiae, bonitatis, & omnium rerum, ergo Deus meus & omnia.*

Punct. 3. Nabuchodonosor primùm elatus postea autem humiliatus rotundè fatetur. Daniel. 4. 32. *Omnis habitatores terræ apud eum (scilicet DEUM) in nihilum reputati sunt.* Tu homuncio, quantus es ad orbem terrarum? jam si universus orbis nihil est ad DEUM, cogita, quantum tuum sit nihilum respectu DEI? *Intuitus sum, & ecce non erat homo.* Jerem. 4. 15. Et sicut nihil es in effundo, ita nihil es in permanendo. Statua confecta non habet opus suo factore; tu autem necessariò indiges tuo factore. Infinitè magis dependes à DEO, quam lux à sole, umbra à corpore, fructus ab arbore. Et demus (sicut damus) te esse morborum ludibrium, infelicem miseriam, ætatis inconstantiam, cinerem, vermem, fœtorem, horrorem, de humo

humo & humore hominem ante damnatum , quām natum ; attamen , quia peccator es , nihil es . Peccatum nihil est , & nihil fiunt homines cūm peccant . S. Augustinus apud Berchorium in Repert . V . Nihil . Quin imò infra nihilum descendisti , quia DEUM offendisti ; Melius esset non fuisse , quām DEUM offendisse . Tuum esse est nihil , tuum posse nihil , tuum scire & habere nihil , & adhuc locum dare poteris elationi ? semper ante oculos habet tuum nihilum , disce tibi ipsi diffidere , & millies repete : DEUS meus & omnia , &c.



D I E S O C T A V A .

Omnibus Sanctis consecranda .

Oratio jaculatoria : DEUS meus & omnia .

MEDITATIO PRIMA .

De excellentia beatæ Virginis .

Punct. I. In omni populo , & in omni gente primatum habui . Eccles . 24. 10 . Maria est Sapientissimæ Trinitatis artifici-

um, divinitatis sacrarium, sanctitatis miraculum, cœli gaudium, terræ spes, utriusque amor: Est perfectionis compendium, universitatis ornementum, operum DEI complementum; eminentius enim sola complectitur, quidquid habent universi: Est illa divinæ bonitatis imago, atque idea communicationis DEI ad extra, in quam DEUS suæ potentiarum, sapientiarum, & beneficentiarum thesauros abundantius effudit. Quidquid magnum est, ejus excellentiâ minus est: Solô DEO excepto, cunctis & superioribus: Res omnes conditas longè infra se despiciat, supra se autem solum suspicit conditorem. Hanc universitatis primogenitam favor extollit Angelicus, Prophetarum annuntiat chorus, Apostolorum veneratur numerus, Martyrum laudat exercitus, Confessorum personat jubilus, Virginum commendat cantus, ac omnium Justorum & Electorum colit servitus. O Maria cum his quoque dignare me laudare te, &c.

Punct. 2. *In plenitudine Sanctorum dezentio mea. Ecclesiast. 24. 16. Bene hoc dicit*

cit Regina Sanctorum, nam quidquid
gratiæ ac gloriæ, quidquid virtutis ac
pulchritudinis, quidquid dignitatis ac
majestatis reliquis Sanctis, etiam colle-
ctivè sumptis, concessum est, id omne
ac totum longè nobiliōri modo resulget
in Maria. Per partes præstatur, quid-
quid gratiæ ac gloriæ cæteris Sanctis da-
tur, Mariæ verò se tota simul infudit
gratiæ plenitudo. Sicut ad ortum solis
stellæ diffugiunt; ita ad sublimitatem
Mariæ omnium Sanctorum dignitas ob-
scuratur. Tanta ac talis est hujus Virgi-
nis præexcellentia, ut intellectum omni-
um creaturarum excedat, ac soli DEO
plenè cognoscenda reservetur. Inter
Matrem DEI, & servos ac ancillas DEI
in finitum quasi discriminem est; cæteri
Sancti veluti ministri summa cum reve-
rentia assistunt ante thronum DEI: At
verò Regia filia, Mater & Sponsa Re-
gis æterni proximè assidet Sanctissimæ
Trinitati. Si magnitudo gloriæ hujus
Reginæ poneretur in statera ex una par-
te, & ex altera Sanctorum omnium, Ma-
riæ gloria præponderaret. *Majorem glo-*

riam habet Maria sola, quam habent omnes
 Angelorum & Sancti simul. Expressè revelatum
 est S. Thomæ Cantuariensi. Mauritius
 c. 10. in vit. Deiparæ. Gaude Virgo glo-
 riosa super omnes speciosa, gaudeo &
 ego, quod sis, quæ es, &c.

Punct. 3. Maria est illius Mater, cu-
 jus DEUS est Pater. *Quod ex te nascetur
 sanctum, vocabitur Filius DEI.* Luc. 1. 35.
 Hoc solùm, quod Maria Mater DEI sit,
 excedit omnem altitudinem, quæ post
 DEUM cogitari potest. *Beata Virgo,* in-
 quic D. Thomas 1. p. q. 25. a. 6. ad 4.
*ex hoc quod est Mater DEI, habet quamdam
 dignitatem infinitam ex bono infinito, quod
 est DEUS;* & ex hac parte non potest aliquid
*fieri melius, sicut non potest aliquid esse meli-
 us DEO.* Potest DEUS condere firma-
 mentum stellis locupletius, mare fini-
 bus exuberantius, terram Paradiso a-
 mœniorem, sed majorem Matrem,
 quam Matrem DEI facere non potest.
 Hæc Virgo concepit, quem cœli capere
 non poterant: Genuit, qui semper fu-
 it, est, & erit: Lactavæ, qui omnibus
 dat escam in tempore suo: Subditum
 habu-

habuit , cui subsunt omnia. Fuit incorrupta , sed sinè sterilitate , fœcunda , sed sinè violatione , gravida , sed sinè onere , puerpera , sed sinè dolore , Mater , sed sinè Virginitatis detrimento ; nempe nec alia Mater talem decebat filium , nec alius filius tali Matri Virgini inveniri poterat. O si & tu hujus Matris devotus essem filius ! tunc verè beatus fores , si & te reciperet in suum filium ; nam sicut DEUS in ea exaltanda nullis voluit subiectus esse legibus , ita neque in illa exaudienda. O Maria ? Memento , quòd etiam ideo facta sis Mater DEI , ut miserearis mei. *Monstra te esse Matrem , &c.*

LECTIO MATUTINA.

Beatam Virginem esse Matrem nostram.

1. O Maria ! quis te Matrem pulchræ dilectionis non diligit ? tu es Mater DEI & Mater rei , Mater Christi & Mater Christianorum , Mater Judicis & Mater exulis , Mater misericordiarum & Mater miserorum . Veneror ultimam voluntatem & dispositionem filii tui , acceptò

legatum & testamentum ejus, vi hujus
tu mea es, & ego tuus sum, tu mea Ma-
ter, ego tuus filius. Hoc arctissimo ad-
optionis & amoris vinculo unigenitus
tuus nos ad invicem ligavit, dum in cru-
ce moriturus metibi, & te mihi legavit,
ac amorosa voce clamavit. *Ecce Mater
tua. Ecce filius tuus.* Joan. 19. Noli, ô Ma-
ter, nos despicere, pro quibus Filius tu-
us non dubitavit sanguinem suum ef-
fundere.

2. Annuit Mater misericordiae votis
nostris, vult esse Mater nostra, modò
nos simus devoti filii ejus. *Ego, inquit,*
Prov. 8. 17. Diligentes me diligo. Cujus
maternæ dilectionis nos ulterius assecu-
ravit, dum S. Brigittæ revelavit. l. 4. Re-
vel. c. 138. se esse Matrem DEI, San-
ctorum, animarum in Purgatorio, &
omnium denique justorum, & pecca-
torum in terris existentium. Est ergo pi-
issima Virgo Mater Christi singularis,
omnium fidelium universalis, & Reli-
giosorum specialis. Dum vota nuncu-
pâsti, post *DEUM omnipotentem B. Mari-
am Virginem nominâsti; dignum proinde*
est,

est, ut ad hunc effectum ejus opem implores, & etiam ob ejus reverentiam Regulam tuam quam integerrime observes, Pater noster Seraphicus. (vit. c. 9. n. 2.) hanc cœlorum Reginam sui & suorum advocatam constituit, suumque Ordinem in Ecclesia sanctæ Mariæ Angelorum, seu Portiunculæ, instituit, ut omnes Franciscani cognoscerent, se filios Mariæ, & Marianum templum eorum natale solum, Originis locum, ac domum maternam esse. Et certè si Annales tuos evolveris, invenies, omnes Seraphici Ordinis Sanctos huic Matri singulariter devotos fuisse, & ab ea maximos favores recepisse.

3. Angelici Doctoris assertio est 2. 2.
q. 26. a. 10. *Matres magis sunt amantes filiorum, quam Patres.* Majoribus impensis obveniunt Matribus filii, ideo ab iisdem impensiis diliguntur. *Aliusse & latetasse,* consentit Clemens Alexandrinus l. 1. Pædag. c. 3. *amoris incitamenta plura habet.* Maria ardentius nos diligit, quam omnes Matres etiam simul sumptæ suos filios. Noster Bernardinus de Bustis ul-

terius procedit, & dicit: p. 12. Ser. 2.
 Licet omnes Angeli & Sancti ardenter
 simè nos diligent; attamen Maria sola
 incomparabiliter nos plūs diligit, quam
 omnes sancti simul. Charitas DEI, &
 charitas proximi gemellæ & indivisæ
 virtutes sunt. Idem numero est habitus cha-
 ritatis, ex quo uterque actus elicetur. S. Tho-
 mas 2. 2. q. 25. a. 1. Hi duo amores duæ
 quædam partes sunt, sed unum totum,
 duæ actiones, sed unus amor, duo ope-
 ra, sed una charitas, duo merita, sed
 unum sive altero inveniri non potest.
 Vis jam scire, quanta nos dilectione pro-
 sequatur Deipara? mensuram cape à di-
 lectione, quæ fertur in DEUM. Ardet
 amore divino supra universos cœli cives
 flammantiūs; ardet itaque etiam versus
 nos amore prorsus indicibili. Magnes
 amoris amor est, ferro es durior, si non
 redames Mariam. Disce à Patre amare
 Matrem. S. Franciscus (Bonaventura
 in vita cap. 9.) Beatam Virginem inex-
 plicabili amore prosequebatur, duas po-
 tissimum ob causas. 1. Quod Christum
 nobis fratrem effecisset. 2. Quod eadem
 apud

apud eundem misericordiam nobis obtinuisse. Adhuc in vivis positus (Marcus Ulyssipon. Annal. l. 2. c. 72. semper optabat corpus suum vilissimo urbis Afissii loco sepeliri , excepto corde suo , quod esse in templo Dominæ nostræ Angelorum percupiebat ; sicut vivens illic per affectum affixum fuerat. Mira etiam devotione (Nadas. in Ann. Marian. p. 3. Sab. 27.) in salutationem Angelicam terebatur , dicere solitus : Cùm dico : Ave Maria , cœli rident , Angeli gaudent , mundus exultat , infernus contremiscit , dæmones fugiunt. Sicut cera fluit à facie ignis , & pulvis ante faciem venti dispergitur ; sic ad invocationem nominis Mariæ totus malignorum spirituum exercitus separatur. Non es Franciscanus , si cum Francisco non colas ac diligas Mariam.

4. Amantissimæ Matres laborant & sudant , ut filiis suis pingvem hæreditatem relinquant. *Sicut qui thesaurizat , ita & qui honorificat Matrem suam.* Ec. 3. 5. Hæreditas ac thesaurus noster vita æterna est , in quam à Matre Dei generamur ; nam

ipsa ab ipso Patre aeterno recepit fontalem fa-
cunditatem ad generandos omnes electos. S.
Bernardinus Sen. Ser. 11. a. 2. Com-
munis & consona sanctorum Patrum &
Doctorum assertio est: Amorem erga
Deiparam unum ex certissimis signis æ-
ternæ Prædestinationis esse. S. Ansel-
mus I. de Concept. Virg. S. Petrus Da-
mian. opusc. 23. c. 2. S. Bonaventura
in Psalm. S. Antoninus 4. p. r. 15. c. 14.
Cassian. in Collat. Patrum. Nierenber-
gius, Pelbartus, Rainaudus, Spinellus
& alii. Nullus est, qui salvus fiat, nisi per te,
O Virgo sanctissima. S. Germanus de Zo-
na B. Virg. & S. Ignatius Mart. Nun-
quam male peribit, qui Genitrici Virgini,
devotus sedulusque extiterit. Epist. ad B.V.
Accedit Doctor Angelicus opusc. 8. in
salut. Ang. Per eam (scilicet Mariam)
Christiani omnes sicut per stellam maris ad æ-
ternæ gloriae portum diriguntur. Hinc Ec-
clesia ipsi illam Salomonis sententiam
accommodat Prov. 8. 34. Qui me invenie-
rit, inveniet vitam, & hauriet salutem à
Domino. Omnes prædestinati conse-
quuntur salutem à Domino, sed inter-

ce-

cedente Beata Virgine Maria, tanquam
communi generis humani Advocata.
Verum ejus devoti facilius consequun-
tur, quia istorum non tantum curam,
sed etiam solicitudinem gerit, & sic illis
imperat, ut infernus minus habeat viri-
um ad eostentandos, obtinet eis specia-
les gratias, perseverantiam usque ad fi-
nem vitae, ac tandem felicissimam mor-
tem. Nam, teste Blosio in Monil. c. 12.
Beata Virgo suis devotis sancte promisit,
se illis in hora mortis ad futuram. *Ego o-*
mniibus, verba ejus sunt, qui mihi pie san-
cere que deserviunt, volo in morte fidelissime
tanquam Mater piissima adesse, eosque pro-
tegere, ac consolari.

5. Hæc nempè illa Mater est, cui ne-
gotium nostræ salutis quam securissimè
concredi potest. *Facta est Maria inquit*
S. Fulgentius Ser. de Laud. B. V. *scala*
cœlestis, quia per ipsam DEUS descendit ad
terras, ut per eandem homines mereantur
ascendere ad cœlos. Sæpè hujus Matris mi-
sericordia salvat, quos justitia filii da-
mnaret, delectat & præsentem materi-
am illustrat illa visio, quæ nostro fratri

Leoni fuit ostensa. Annal. t. I. 1232. n.
28. Erat magna planities, & in ea speci-
es quædam judicii mox futuri. Magna
erat præsens hominum multitudo: An-
gelorum tubæ personabant; denique
binæ scalæ è summo cœlo usque ad ter-
ram demissæ, altera candido colore, al-
tera rubeò. Purpureæ imminens viseba-
tur ex alto Christus, vultūs habitu se-
vero, acque subirato, Franciscus paulò
infra ipsum fratres suos evocabat, ut fi-
denter ascenderent: nam Dominum ita
velle, eosque invitare. Cùm autem illi
se per scalas audenter efferrent, alius de
tertio, alius de quarto, vel de decimo,
alii de superioribus, ac penè jam ultimis
gradibus procidebant. Qua suorum cla-
de Franciscus magnopere commotus,
eos voce magna admonuit, ut ad scalam
alteram candidam accurrerent; illic af-
serens nihil fore periculi. Itaque cùm ad
eam accessissent, Mariam ei incumber-
tem videbant, quæ eos blandissimè in-
tuens, studiosè etiam juvaret excipe-
rētque singulos, ita ut nullò negotiō ad
unum plurimi in cœlum evaserint. Non
ergo

ergo fabulosa Juno, sed vera DEI Genitrix lacteam Franciscanis ad cœlum sternit viam; ita ut quilibet nostrum cum Bernardo dicere valeat Ser. in Nat. *Hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia, hæc tota ratio spei meæ.*

6. Sicut pia Mater abscondit ac protegit filium suum, quando Pater eum vult excipere verberibus; ita Beata Virgo defendit à facie irati Judicis ad se confugientes. Ejus ubera in canticis & botris, & hinnulis, & turri comparantur: Botris, ut indicetur, quām jucundum, suave, ac dulce sit, Mariæ servire, & ab ejus misericordiæ uberibus lactari: Hinnulis, ut innotescat, quām celeriter misericordia subveniat: Turri vero, ut Marianæ lactis abundantia, atque securitas significetur. *Cælum & terra jam dudum ruissent, si Maria precibus non sustentasset.* S. Fulgentius l. 4. Mytholog. Cūm sanctus Dominicus Romæ (Plat. de bon. stat. Relig. l. 1. c. 34.) in templo S. Petri orans pernoctasset, visum est ei pandi totum cœlum, Christumque DEI Filium exurgere, atque inflammato vultu, ter-

nas

nas manu lanceas vibrantem ad per-
dendum genus humanum, unam in su-
perbos, alteram in avaros, tertiam in
lascivos. Cujus iræ cùm nemo obſistere
auderet, ſola Mater misericordiæ ad pe-
des ejus accidens rogavit, ut ignoſceret
iis, quos ſangvine redemifſet. Cùm au-
tem à Chriſto ei reſponſum eſſet, non
eſſe jam ſuæ iuſtiæ, ut tot & tanta pec-
cata impunita relinqueret: Addidit illa,
habere ſe famulos duos, probos ac fide-
les, qui in mortalibus ad pœnitentiam
revocandis strenuam operam impigrè
poſituri eſſent. Quibus verbiſ placatus
Dominus, cùm illos videre voluiſſet,
productus eſt Franciſcus & Dominicus
ipſe, qui hæc videbat, cui etiam cùm
die poſtera Franciſcus forte occurriſſet,
quem antea nunquam alſpexerat, ex no-
cturno tamen viſu ſtatim agnovid, ar-
ete complexus ut fratrem, & ſocium
tanti operiſ, eique expoſuit, quod per
utroſque ex dictamine Beatæ Virginis
totus mundus ſit emendandus.

7, Eſt ergo Maria Mater totius mun-
di, omnium ac ſingulorum curam ge-
rit,

rit, singulariter verò sibi devotos tuerit, ne pereant. Imitare proin morigeros filios, & confuge in omnibus tuis necessitatibus ad Matrem. Si mundus te vexat, caro titillat, diabolus infestat, vitiorum sitis inflammat: Si in virtutibus crescere, & in via DEI proficere appetas; si persecutiones, dolores, morbi, ac mortis tempora instent, propera ad Mariam, accede cum fiducia ad Matrem. Hæc Mater potest te juvare, est enim Mater DEI, vult te juvare, est namque Mater misericordiæ, & non tardabit te juvare, quia est Mater tua.

8. Ex quarto decalogi præcepto tenetur filius suæ Matri amorem & honorem, obedientiam ac reverentiam exhibere. Hinc etiam Tobias filium suum admonuit. Tob. 4. 3. *Honorem habebis Matri tue omnibus diebus vita ejus. Venerare totis præcordiorum affectibus Mariam imitare, ut bene moratus filius pulchræ dilectionis Matrem, conare certis ac continuis obsequiis tibi devincentem cœli Reginam. Pro coronide propono tibi coronam stellarum duodecim,*
hoc

hoc est, duodecim specialia obsequia,
 quibus Matrem tuam perpetuò coro-
 nes. Sunt autem 1. Mariam quotidie in
 Matrem eligere, & crebris per diem su-
 spiriis diligere. 2. Officium B. M. Virgi-
 nis, & coronam, & Litanias Laureta-
 nas quotidie recitare. 3. statutas ac quo-
 tidianas preces & devotiones tuas ad di-
 vam Virginem ob nullum prætextum
 intermittere. 4. Nomen Mariæ, ejus-
 que imagines specialiter revereri. 5. Ad
 sonitum horologii, ad ingressum & e-
 gressum è cella, & ante omnes actiones
 universim, Deiparam uno *Ave* salutare
 & invocare. 6. Sæpiùs invisere templa &
 altaria, cultui Mariano dicata. 7. Diem
 Sabbati jejunii, aliisque specialibus de-
 votionibus colere. 8. Præmittere jeju-
 nium, & alias corporis afflictiones sole-
 mnitatibus Deiparæ, & dein festum ip-
 sum omni possibili devotione celebrare.
 9. Specialiter venerare Sanctos divæ
 Virginis arctius conjunctos, ac devotos:
 utpote ejus sanctissimos Parentes, S. Jo-
 sephum, S. Joannem Evangelistam ad-
 optivorum filiorum primogenitum, S.

Ber-

Bernardum, S. Bernardinum Senensem
 &c. 10. Frequentius orare pro anima-
 bus in purgatorio detentis, quæ Beatæ
 Virgini gratissimæ sunt, & in vivis ei-
 dem devotissimæ suêre. 11. Post Chri-
 stum totam suam fiduciam in Maria col-
 locare, magnam de ejus prærogativis
 æstimationem concipere, & omni pos-
 sibili modo etiam alios in ejus amorem
 trahere. 12. Omnia sua opera in hono-
 rem Beatæ Mariæ Virginis peragere &c.
 Insuper DEI Matrem tanquam bonus filius
in omnibus pro posse studias imitari. S.
 Bonaventura stimul. Am. divin. c. 7.

E X A M E N.

De oratione ritè persolvenda.

Prudenter monet Ecclesiasticus 18.

23. *Ante orationem præpara animam tuam:* Et noli esse quasi homo qui tentat DEUM. Obtemperasne huic admonitioni? qua præparatione, intentione, atten-
 tione, & contra impedimenta contentio-
 ne orationes tuas, tam vocales, quàm
 mentales persolvvis? an non peccas aut
 in corporis siccâ, aut in curioso visu, aut
 in

in vocis sonitu? an non in orationibus tuis tam privatis, quām publicis nimirū properas? an non molesta singularitate alios perturbas? quantum temporis quotidie orationibus impendis? an non passim omittis tuas preces devotionales? ante, in, & post Missam quem te habes? quō studiō peragis tuas meditationes? an nunquam negligis? quantum resistis distractionibus? quo in loco sunt apud te actus virtutum fidei, spei, charitatis, pœnitentiae, resignationis. Orationes jaculatorias quoties, & quām intensè repetis? Oportet semper orare & non deficere. Lucæ 18. 1.

MEDITATIO SECUNDA.

De DEO.

Punct. 1. Glorificantes Dominum, quantumcunque potueritis, supervalebit adhuc, & admirabilis magnificentia ejus.. Eccles. 43. 32. Cogita pulchritudinem tam excellentem, quæ solo sui aspectu omnium rapiat corda, ita, ut eam vel semel hōque unicō tantum momentō intueri præ-

præstet, quām per multa sæcula omnibus hujus mundi voluptatibus perfrui, DEUS supervalebit adhuc. *Quis sic delebat, quām ille qui fecit omnia, quæ delectant.* S. Augustinus in Psal. 32. Cogita majestatem tam sublimem, in eujus obsequium quæque tormenta perpeti plūs sit, quām toti mundo dominari, DEUS supervalebit adhuc. Cogita bonitatem tam immensam, quam unica tantum cogitatione offendere pejus sit, quām re ipsa in nihilum redigere omnes creature, DEUS supervalebit adhuc. Cogita omnipotentiam tam absolutam, cui omnia pari modo sunt possibilia, DEUS supervalebit adhuc. Est enim omni nostro cogitatu major omni bono melior, omni perfectione perfectior. DEUS est merces, pro qua pugnare & laborare, portus, ad quem currere & tendere, felicitas, quam exspectare & sperare debemus. Pro Deo non possumus nimium aut pati aut agere. *Quidquid mihi vult dare DEUS meus, auferat totum, & se mili det.* S. Augustin. in Psal. 26. Cupio dissolvi & videre DEUM meum, &c.

Punct. 2.

Punct. 2. *Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis.*
Psal. 144. 3. Non datur in DEO finis, perfectiones enim ejus sunt undeque infinitæ. DEUS est sine deformitate pulchritudo, sine quantitate magnitudo, sine qualitate bonitas, sine tempore æternitas: DEUS est invisibilis omnia videns, immutabilis omnia mutans, increatus omnia creans, omnia dans & nihil amittens. Deus est excelsus in potestate, sublimitate, majestate, magnus in potentia, justitiâ, misericordiâ, mirabilis in consiliis, judiciis, decretis, unicus in Patre, & Filio, & Spiritu sancto. Deus est ineffabilis in seipso, in creaturis spectabilis, in Angelis desiderabilis, in hominibus amabilis, in damnatis formidabilis. Deus est esse tam bonum, ut nec per punctum ullum temporis cessare potuerit à communicatione sui ipsius, esse omnipotens, quod ex amore res omnes ex nihilo condidit, esse quod omni ei, quod est, dat suum esse, esse tam justum & misericors, quod ut misericordiam exhiberet, pepercit hominibus,

bus, & tamen proprio filio suo non pepercit. Rom. 8. 32. esse tam amans nostri, ut amare non cesseret. *Causa diligendi DEUM* DEUS est. S. Bernardus Tract. de diligen. Deo. O DEUS! ego gaudeo quod sis, qui es &c.

Punct. 3. *Ego offendam omne bonum tibi.* Exod. 33. 19. Quid vagaris ô homo, per multa bona? quære unum bonum, in quo est omne & summum bonum, & sufficit. Si amor feratur in bonum, ecce bonum omnis boni! si amas bona quæ facta sunt, cur non ames Deum per quem facta sunt? Hoc invento bono, habes omnia: si esuris cibus est, si sitis potus, si ægrotas pharmacum, si moreris vita. *Frustra extra DEUM queritur, quod in illo solo invenitur.* S. Augustin. I. Conf. c. 12. DEUM invenisse, est omne bonum invenisse, in ipso enim omnia reperimus, nihil nobis potest deesse, si omnia habentem habeamus. O unum supremum, & omne bonum, extra quod, & sinè quo nihil est bonum, per quod & in quo est omne bonum, te solum super omnia appeto, amo, stringo.

Apa-

Apago, satis amavi bona mundi, quæ
me reddiderunt malum; amodo am-
plector te, & teneo omne bonum, non
te amplius dimittam in perpetuas æter-
nitates &c.

LECTIO VESPERTINA.

De Zelo animarum.

I. Nihil est cum hominis anima com-
parandum, altior cœlō est, pulchrior
sole, splendidior astris, gemmis pretio-
sior, ac omni re visibili nobilior. Exere-
vires, fortiter dimica, usque ad fudo-
rem, usque ad sanguinem, usque ad
mortem decerta, ut serves & salves ani-
mam tuam. Nec hoc satis est, non suffi-
cit solūm animæ suæ intendere, & pro-
ximorum salutem negligere. Posuit nos
DEUS in Ordine Seraphico, ut impi-
gram in reducendis animabus navemus
operam. De S. Francisco canit brevia-
rium Franciscanum Anti. I. ad Laud.
*præviis orationum studiis, quid faciat instru-
ctus; non sibi soli vivere, sed & aliis profice-
re, vult DEI zelō ductus.* Ergo Officium
Franciscani est: Priùs purgari, deinde
pur-

gare alios, prius scientiam instrui, deinde eadem instruere alios, prius lumen fieri, deinde illuminare alios, accedere ad DEUM, & postea alios ad ipsum duce-re, sanctificari, & aliis sanctitatem con-ferre. Vi altissimae nostrae professionis *DEI adjutores sumus.* 1. Corin. 3. 9. Ut DEO adjuvante, DEUM adjuvemus. Nihil non agit DEUS, ut aberrantes animas à via perditionis ad viam veritatis perducat; tu igitur quoque Religiose, age negotium tuum, ad quod te DEUS conduxit vigila, labora, stude, curre, ut lucreris animam proximi tui.

2. S. Dionysius Areopagita in consideratione hujus dignitatis aperte dicit. c. 3. de cœlest. Hierarch. *Divinorum om-nium divinissimum est, cooperari DEO in sa-lute animarum.* Doctissimus Richardus Victorinus l. 1. de præparat. in Cant. c. 44. ignorat: An DEUS hac gratia ho-mini majorem conferre possit. Ex cha-ritate, zelo, & misericordia ignorantes docere, rudes instruere, verbum DEI prædicare, confessiones audire, inimi-cos reconciliare, bono exemplō alios

O

ædi-

ædificare, moribundis assistere, & peccatores ad meliorem frugem reducere, eosque de filiis diaboli filios DEI facere longè nobilius est, quam orationi vacare, in choro psallere, corpus mortificare, &c. Hi sunt actus Religionis, & opera poenitentiae: Isti charitatis, & opera misericordiae spiritualis. Prolixè id probat D. Chrysostomus Homil. 25. in Epist. 1. Corinth. Licet, inquit, jejunando, humili dormiendo, corpus maceraveris, si nullam autem curam proximi habueris, nihil egregium feceris. Illustrè quid est, fateor, infirmos curare, dæmones expellere, mortuos suscitare; at longè illustrius est, animam infirmam, dæmone obsecram, peccato mortuam ad spiritualem sanitatem, libertatem, & vitam sanctorum revocare. Majus miraculum est, prædicationis verbô, atque orationis solatiô peccatorum convertere, quam carne mortuum suscitare: In isto enim resuscitatur caro iterum moritura; in illo vero anima in aeternum vivit. S. Gregor. l. 3. Dical. c. 17.

3. Seraphicus noster Pater (S. Bonavent. in vit. c. 9.) non se Christi reputabat

bat amicum, nisi animas foveret, quas ille redemit. Saluti animarum nihil præferendum esse dicebat, eō maximè probans, quod unigenitus DEI pro animabus dignatus fuerit in cruce pendere; hinc sibi in oratione luđamen, in prædicatione discursus, & in exemplis dandis excessus. Hoc opus conversionis animarum (vit. c. 3. n. 6. adeò sanctissimo Patri cordi suit, ut in exordio Religions, cùm duntaxat septem numeraret filios, omnes huic operi voluerit applicare. Ipse cum uno socio versùs unam orbis partem perrexit, reliquis sex ad modum crucis, tribus aliis mundi partibus deputatis. Et in secundo capitulo Generali adunatis fratribus Domini voluntatem in hæc verba exposuit: *Filioli mei, DEUS mihi mandavit, quod mittam vos ad terram Saracenorum, ad prædicandum & confiterendum ejus fidem, & legem mabometicam impugnandam. Et ego etiam ibo per aliam partem ad Infideles, & fratres alios mittam per universum mundum.* Idcirco filii, paretis vos ad implendum Domini voluntatem.

Opusc. Tom. 3. Collat. 23.

4. Et hinc Ordo noster Innocentio III. divinitus ita ostensus est: Videre sibi visus est Pontifex, Lateranensem Basili-
cam, quæ tunc sedes erat Pontificum, convulsis fundamentis collabentem, pauperem verò quemdam accurrere, qui eam humeris suppositis sustineret, quod visum ex interpretatione Innocentii ad Franciscum, ejusque familiam pertinebat, uti exitus ipse demonstra-
vit. Nam non modo ætas illa, quâ pri-
mùm hic Ordo prodiit, mirabiliter ejus opera adjuta, & illuminata est, sed totis trecentis & septuaginta sex annis (mo-
dò plus quam quingentis) quibus deinceps stetit, hoc semper egit, ut DEI Ec-
clesiam quasi fulciret. Hucusque Hierony. Platus candidus scriptor è Socie-
tate Jesu de bo. stat. Reli. l. 2. c. 30. Et addit; primos omnium, qui in coversio-
ne novi Orbis laboraverunt Franciscanos fuisse legimus, atque eosdem etiam in iis regionibus inveniendis, cum ante a-
nione de nomine quidem auditæ essent, magnopere contulisse. Brevi tempore ibidem tredecim provincias instituere;

in

in quibus magnam Christianæ rei operam navarunt, & adhuc navant. Affert quoque suum testimonium R. D. Albertus Miræ Decanus Antuerpiensis, dicens l. 5. notitiæ Episcoporum. §. India Orientalis. Primi Praecones Evangelii in India Orientali & Occidentali fuerunt sodales Franciscani: qui & primi ferè ius in Ie-
cis Episcopi fuere.

5. Adeoque, ut S. Bonaventura docet, Ordo Minorum datus est Ecclesiæ in ædificationem fidelium, & in subsidium Clericorum sacerularium. Et hoc jam sicut tempore Apostolorum in pescatione Petri præfiguratum. Narrat S. Evangelista Lucas c. 5. quod Christus ex navela Petri docuerit turbas, ac deinde dixerit: *Laxate retia vestra in capturam.* Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt socii, qui erant in alia nave, ut venirent, & adjuvarent eos. Et venerunt, & impleverunt ambas naviculas. Quod mysterium Seraphicus noster Do-
ctor (in opusc. quare Fratres Minores prædicent) ita dilucidat: Mare est sæ-

culum, navicula Petri Ecclesia fidelium
populorum, rete Evangelica doctrina.
Per jussum Domini tanta piscium mul-
titudo concluditur, quod rete rumpa-
tur; quia tot ad fidem veniunt, quod
eam etiam hæresibus scindant: Sed cùm
Petrus cum suis trahere non valeret,
annuerunt sociis in alia navi, ut veni-
rent, & adjuvarent eos; quia Prælati
Ecclesiæ cum Clero non sufficientes per
se tantam plebium multitudinem tra-
here ad littus perpetuæ vitæ, annue-
runt, admittendo, sociis Religiosis, sci-
licet Jacobo & Joanni, activis & con-
templativis, ut venirent compatiendo
animarum periculis, & adjuvarent eos,
tam illos qui trahunt, quam illos, qui
trahuntur; illorum insufficientiam, isto-
rum indigentiam relevando. Ambas au-
tem naviculas implet, cùm præ mul-
titudine populi, nec Clerici nec Religio-
si plenè sufficiunt omnibus satisfacere.

6. Sanctissimus noster Patriarcha su-
is tyronibus in hac pescatione laboranti-
bus sequentem doctrinam reliquit, dum
dixit: In adjutorium Clericorum missi sumus
fra-

fratres charissimi , ad animarum salutem ; ne
quod in ipsis invenitur minus , suppleatur à
nobis , quilibet recipiet mercedem non secun-
dum autoritatem , sed secundum laborem .
Scitote fratres , quòd D E O est gratissimum
animatorum lucrum , hoc consequi melius pos-
sumus cum pace Clericorum , quam cum dis-
cordia ; si autem ipsi salutem impediunt , D E I
est ultio , & ipse retribuet in tempore . Ideo-
que estote subjecti Pralatis , ne , quantum ex-
vobis est , malus zelus exsurgat . Si filii pacis
fueritis , Clerum & populum lucrabimini , &
hoc acceptabilius D E O erit , quam populum
solum , Clerō scandalizatō , lucrari . Tegite eorū
lapsus , multiplices eorum supplete defe-
ctus , & cùm hac feceritis humiliores estote .
Wading. in opusc. S. P. N. Francisci .
Collat. 12. Tom. 3.

7. Tu igitur imposterum tuas con-
ciones ad populum ita institue , ut ze-
losæ & efficaces sint , non fabulosæ &
scurriles : Spirent majorem D E I glori-
am & salutem animarum , non propri-
am laudem , & plausum populi , habe-
ant conditiones , quas Regula cap. 9. re-
quirit , dicente Legislatore : Moneo quo-

qne & exhortor eosdem fratres, ut in prædicatione, quam faciunt, sint examinata & casta eorum eloquia, ad utilitatem & edificationem populi, annuntiando eis vicia & virtutes, pœnam & gloriam cum brevitate sermonis. Nec separare Cathedram à Confessionali.

8. D. Antonius Padvanus tractans illud Joan. 15. 16. *Et fructum afferatis. Concionandi, & confessiones excipiendo Officium ad invicem confert Ser. 4. de Apostol. Fructum facit, qui prædicando mouet cor populi, sed fructum afferit, qui post prædicationem sedet ad audiendas confessiones. Prædicare est seminare, sed confessiones audire est fructum metere. Stultus est ergo, qui libenter seminat, & fructum colligere non curat. Quod sanctus Pater ore docuit, opere exercuit. Beatus quoque Antonius Segoviensis (Chron. p. 2. l. 2. c. 16.) Post habitas conciones assiduus erat in confessionibus excipiendis, tan-tique illud opus faciebat, ut diceret aliquando: Si in cœlum admissus essem, vellent uno pede posse extra stare, ad peccatores adjuvandum in confessionibus suis ritè faciendis.*

Tu

Tu quoque ad Confessionale vocatus,
 propera sive tergiversatione; æqualiter
 omnes suscipe sive personarum acceptio-
 ne: In hoc grandi charitatis exercitio
 nullum laborem subterfuge sive defati-
 gatione: Intende per expressam inten-
 tionem omnia pœnitentis opera in satis-
 factionem Sacramentalem sublimare.
 Tam patienter audi confitentes, ut di-
 cere de te possint: *Ecce Agnus D E I, qui*
tollit peccata mundi.

9. Ad infirmum vocatus, sive mora
 surge, curre, & adjuva consortem tu-
 um in toto æternitatis periculo trepi-
 dantem. Nam si magna mercedis est, à
 morte eripere carnem, quandoque moritu-
 ram, quanti meriti erit, à morte animam
 liberare, in cœlesti patria sive fine victuram?
 S. Gregorius l. 19. Moral. c. 12. Primi-
 tūs age, quæ infirmum bene afficiunt,
 condolentiam ostende, instilla, quām
 ad morbos sive tollendos, sive utiliter
 perferendos conduceat esse in statu gra-
 tiæ; deinde sat dispositum mansuetè
 audi: Quæstionibus (si opus sit) adju-
 va; admonitionibus firma; benedictio-

nibus arma : Una cum illo virtutum a-
ctus elice , nihilque eorum , è quibus
fructum & consolationem haurire pos-
sit , intermitte . Pro exemplo tibi sit no-
ster zelosus Pater Theodoricus à Mona-
sterio (Chron . p . 4 . l . 1 . c . 25 .) qui ad
populum Bruxellensem peste infectum
ingressus , contemptò vitæ periculō , se
in omnium infirmorum adjutorium ex-
ponebat , & ibidem durante infectione
triginta duorum millium infectorum
confessiones exceptit .

10. Ais : Idiota & ineptus sum , adeo-
que animas lucrari non possum . Audi-
responsionem Gregorii Magni Homil .
16. in Evangel . Nemo dicat admonere non
sufficio , adhortari idoneus non sum , quan-
tum potes , exhibe . Non potes esse Orator
ad populum , esto ad DEUM . Ora , ite-
rūmque DEUM ora pro conversione &
salute peccatorum ac Infidelium . Alber-
tus Magnus in Paradis . c . 26 . actiones
zeli enumerat : Zelus animarum , inquit ,
verus & perfectus est , quando quis sanctis me-
ditationibus , ferventibus desideriis , lachry-
mis , orationibus , vigiliis , jejuniis , pradica-
tioni-

tionibus, confessionibus, consiliis, doctrinis,
atque aliis operibus bonis pro salute anima-
rum laborat. Sanctissimus noster Parens
verba illa: (*Sterilis peperit plurimos, &*
qua multos habebat filios infirmata est. 1.
Reg. 2. 5.) Ita declarabat: Sterilem esse
dicebat fratrem, qui officium prædicant-
di non habet, per quod generantur filii
juxta illud Apostoli: *In Christo JESU per*
Evangelium ego vos genui. 1. Cor. 4. 15. Et
talis frater sua oratione atque exemplari
vita sibi & aliis saepe plus proficit, quam
prædicator verbosus. Hoc medio B. Ste-
phanus S. Paulum lucratus est; si enim
Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum
non haberet. Te quoque nullum tem-
pus prætereat, in quo pro salute ani-
marum non ores, aut labores.

E X A M E N.

De propositis in hisce exercitiis conceplis.

Constans propositorum observantia
est optima exercitiorum clausula. *Qui*
perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.
Matth. 10. 22. Finis hujus tuæ Octavæ

suit: bonam vitam incipere, & à bene
cœptis nunquam amplius deficere. Be-
ne incepisti, supereſt, ut perseveres,
& proposita rigidè obſerves; ſunt autem
nī fallor, ſequentia. 1. Spretis vanitati-
bus, & mundi judiciis, totis viribus fa-
luti animæ tuæ invigilare. 2. Exurgen-
tibus paſſionibus, ne exorbitent, quām
primūm rēſiſtere. 3. Nullum peccatum
veniale deliberatè admittere. 4. Nihil o-
bedientiæ præponere. 5. Regulam, sta-
tuta, ac communia quæque ad apicem
uſque obſervare. 6. Quotidianas me-
ditationes, particulare examen, & con-
ſuetas devotiones imposterum nun-
quām omittere. 7. Beatam Virginem
ſpecialiter ut tuam Matrem venerari. 8.
Renovandis intentionibus, precibus ja-
culatoriis, & actibus virtutum adora-
tionis, fidei, ſpei, charitatis, resigna-
tionis &c. ſingulariter ſtudere. 9. Mor-
tificationis, & Religioſæ perfectionis
majorem curam imposterum habere.
10. Otium vitare, & tempus merendi
quām optimè collocare. Hæc & ſimilia
proponere tibi erat facile, at ſtrictè ob-
ſer-

servare, hōc opus, hīc labor. Frustrā sunt proposita, si non redigantur ad effectum. Putas-ne quæ proposuisti, te observaturum? si tibi ipsi vim intuleris, credam. Conare itaque pericula cadendi removere, contra illa te salubribus mediis munire, occasiones fugere, à lapsu, si fortè ex fragilitate contingat, celeriter resurgere, variis motivis subrepentem temporem excutere, & quotidie quasi de novo incipere. Quia à proximis tuis exercitiis hoc non fecisti, ideo in multis defecisti. Esto, quem te hisce diebus futurum esse promisisti?

MEDITATIO ULTIMA.

De bonis propositis executioni mandandis.

Punct. I. Finis coronat opus: *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.*
Apoc. 3.11. Sola perseverantia imponit laborantibus, ac certantibus coronam.
Inchoantibus præmium promittitur; sed perseverantibus datur. S. August. l. de modo bene vivendi Ser. 6. Ut obtineas Regnum cuius nullus est finis, necesse est,

ut perseveres usque ad finem. Nihil tibi
conducet per omnem vitam laborasse,
si in fine vita laborare desinas. Plus pro-
dest unicum momentum ultimum,
quam omnes anni praecedentes; omnia
namque perdit, qui in ultimo instanti
deficit. Inexcusabilis eris, si post haec
exercitia malus fueris. Non poteris prae-
tendere impotentiam, expertus, quod
sancte vivere non sit impar tuis viribus,
poteris, quod potuisti, quod praeteri-
tum est, in futuro facilius erit. Didicisti
hoc tempore, quid te oporteat facere,
prolongatur tibi vita, ut te emendas,
& proposita tua executioni mandes.
Vulgò dicitur: fac ex necessitate virtu-
tem; disc tu, ex virtute necessitatem
facere, tibique persuasum habe, tam
constanter à te virtutem exercendam
esse, quasi exclusa libertate inevitabili
necessitate eò adigereris. His perpensis,
hoc unicum tuum sit propositum, con-
cepta proposita in violabiliter observare.
Teneo, quem diligit anima mea &c.

Punct. 2. *Sicut portavimus imaginem*
terreni: Portemus & imaginem cœlestis. I.
Cor.

Cor. 15.49. Tam constans ac firmus est
 status Christi, in cœlis, ut nullam omni-
 dò passurus sit mutabilitatem, ut ergo
 imaginem illius cœlestem portes, debes
 pro viribus tua proposita stabilire, &
 nequaquam imposterum ab illis resilire.
 Monstrosum est bene incipere & male
 concludere, ac bono principio malum
 finem opponere. Absterrent te forsitan
 prævisæ difficultates? consuetudo vin-
 cit omnia, vincit naturam; quid porrò
 non poterit DEI gratia? hac conforta-
 tus potuisti inchoare; ergo etiam pote-
 ris propositam vitam continuare. Faci-
 lius est semel pro semper perseverare,
 quam deficere & iterum inchoare. Ad
 exordia tantum obstrebit animus. Con-
 suetudine fit facile, quod ab initio vide-
 tur impossibile. Una actio spiritualis vi-
 tæ alteri pandit viam. Difficultas, quam
 tibi fingis, non venit simul tota, sed
 successivè pars parti temporis respon-
 det. Potuisti antea, modò potes, ergo
 poteris & deinceps. O JESU virtus & for-
 titudo servorum tuorum! conforta me,
 ne unquam deseram te &c.

Punct. 3.

Punct. 3. *Homo sanctus in sapientia manet sicut Sol: stultus sicut Luna mutatur.* Eccli. 27. 12. *Vir bonus & fidelis æquè stat suis nudis promissis, ac si ea jumento confirmasset; & tu tuis propositionis tam firmiter post hac adhære, ac si te ad ea votō obstrinxisses.* Persta in bono, nam incitamenta, quæ te movebant, ut bonus fieres, æquè modò vera sunt. Persta, nam dignum & justum est, ut semper Deo servias, qui semper te amat, ex ejus gratia jam multa tibi cumulasti merita, noli ea tuâ inconstantia perdere. Persta in rigore pœnitentiæ, tempus breve est, & mors in janua, post paucos annos, fortè menses aut dies copiosa sequetur retributio. Persta cum Christo in cruce, neminem audi, non carnem, non mundum, non diabolum, non tentationes, non respectus humanos, descensum de cruce svadentes. Frustrà hæc tua exercitia spiritualia fecisti, si ad vomitum redeas. Deus non irridetur, nonne esset Deo illudere, toties emendationem promittere, & sinè causa continuò iterum fidem frangere? durius est in

in æternum damnari, quam ad tempus
in bono perseverare. O Deus, qui es
principium universorum ac finis! da fa-
cultatem exequendi, qui dedisti volun-
tatem proponendi, melius est mihi mori,
quam te post hac offendere &c.

Confirmet DEUS, quod operatus est
in te. Jam in gratiarum actionem reci-
ta Hymnum: *Te Deum laudamus, &c.*

Laudetur DEUS: Qui est
omnium principium &

F I N I S.



INDEX
Rerum Notabilium.

A.

- A**ccursii nostri erga infirmos charitas. 284.
Adulphus quondam Alsatiæ Comes postea Franciscanus seipsum studiò confundit. 228.
Æternitas. 137.
Amor Dei erga Ord. S. Francisci. 148.
 & 266.
Amor Dei erga homines. 271.
Amor erga DEUM. 258. per totam lectionem.
Amor proximi. 275. per totam lect.
Amicitiæ privatæ abscindendæ 281. seq.
Andreas Burgundus deserit Christum sibi apparentem, ut perget ad Vesperas. 109.
Animæ potentia reformandæ. 50.
Animæ salvandæ pretium & negotium. 62. seq.
Animarum Zelus. 312. per totam lect.

C

- C**arolus V. majorem percipit voluntatem

I N D E X.

- pratem in monasterio quam in suis
triumphis in mundo. 152.
- Castitas. 210. seq. 231.
- Cella cœlum. 152.
- Chorus 106. per totam lectionem.
- Christus apparet B. Gertrudi & emen-
dat ejus opera. 33. & 44.
- Christi vita. 233. ejus passio. 249. Tor-
vo vultu aspicit in Choro ridentes 111.
- S. Claræ patientia. 60.
- Confessionis generalis fructus & quo-
modo instituenda. 9. seq.
- Confessiones libenter audiendæ. 320.
- Corpus hominis dilectioni proximi
comparatur. 275.
- Cognitio sui. 287. seq.
- Curiositas vitanda. 57.

D.

- D**Amnatio quomodo à veniali pen-
dere possit. 92.
- Dæmonum conciliabulum contra Or-
dinem S. Francisci. 197.
- Dilectio proximi. 275. per totam lect.
- DELIS. 308. seq.
- S. Dominico dæmon fatetur se ex omni
statu habere homines. 126.
- E. Exa-

I N D E X.

E.

EXamē pro generali confessione. 11.
Examen de intentionibus. 43. de
spirituali profectu. 58. in quodnam
vitium sis pronior. 61.

Excurſiones ē conventu vitandæ. 118.
& 203.

Exercitiorum utilitas & uſus. 1. seq.
F

Finis ultimus. 27. seq. S. Franci-
ſcus approbat studia. 56. habet re-
velationem de ſuo Ordine. 80. qua-
liter horas canonicas perſolverit. 115.
fit certior de ſua ſalute. 122. protegit
ſuum Ordinem. 149. requirit decem
perfectiones à Religioso. 182. offert
Deo tres monetas aureas, per quas
tria vota designantur. 186. cognoscit
fraudes dæmonis. 197. ejus Regula.
159. & 160. & 167. ejus mortificatio
223. ejus amor in Deum. 115. & 268.
in B. Virginem. 298. & seq. ejus casti-
tas. 231. ejus zelus animarum. 304.
seq. & ſuorum seq.

H

HUmilitas. 286. & 287.
I IM-

I N D E X.

I

- I** Mitatio Christi. 214.
Infernus. 134.
Infirmi visitandi 321.
Intentio. 31. per totam lectionem.
Intentionis bonæ formula. 41. Intentio
mala. 43. Intellectus reformandus.
55. seq. & 58.
Job compatitur pauperibus. 239.

L

- L** Inguae refrenatio. 270.
Ludgardi desiderium Marty. 246.

M

- M** Ariæ Matris Dei excellentia 291.
seq. est nostra Mater. 295. per to.
amat nos. 297. ejus cultus est signum
prædestinationis 300.
Martyrii desiderium. 246. seq.
Memoria Dei & quot modis hab. 51.
Modestia Religiosa. 153.
Mors. 103. seq. Mortificatio. 218.
primorum Franciscanorum. 223. est
maximi meriti. 229. seq.
Mundus spernendus. 118.

O

- O** Bedientia. 175. 191.
Officium divinum. 106.

I N D E X.

- Opera nostra cū meritis Xti. uni. 40.
 Oratio. 307.
 Ordo S. Francisci est sub protectione
 Dei. 147. ejus à Deo privilegia. 80.
 ejus amplitudo. 148. dæmones co-
 nantur ejus disciplin. enervare. 197.
 Otium vitandum. 248.

P

- P**Aphnutius non timet tormenta. 221.
 Participatio bonorum operum in
 Religione. 139. seq. 155. seq.
 Passio Christi. 249.
 Paupertas Religiosa. 193. & 208.
 Peccati mortalis gravitas. 66. & 70. per
 totam lectionem.
 Peccati venialis gravitas. 87. per totam
 lectionem. & 89. & 98.
 Perfectio Religiosa. 171.
 Perseverantia. 325.
 Prædestination & paucitas salvandorum.
 122. per totam lectionem.
 Prædestinationis signa. 133.
 Preces jaculatoriæ. 54.
 Proposita in exercitiis quæ facienda. 323.
 quæm strictè servanda. 325. seq.
 Psalmodia. 106.

R RE-

INDEX.

R.

Regulæ Religiosorum sunt à Deo. 159.
sunt strictè observandæ. 161. per
totam lect. & 170. S. Francisci facit
Martyres. 225. vide *Franciscus*.

Religiosi non observantes suum statum
damnantur. 125. sint mundo mor-
tui. 189. Religiosis omnia sunt com-
munia. 140.

Religiosi boni descriptio. 180. per to-
tam lectionem.

Religiosi mali descriptio. 197. per to-
tam lectionem.

Religiosi statûs dignitas ac felicitas. 138.
& 142. ejus utilitas. 155. seq.

S.

Salus Animæ. 62. seq.
Seraphini describuntur. 259. per
totam lectionem.

Servitium DEI. 45.

Spiritus Sanctus descendit super psal-
lentes in choro. 107.

Studendum quomodo. 56. seq.

T. Tem-

I N D E X.

T.

- T**emporis distributio in exercitiis. 4.
Tempus bene impendendum. 248.
Tepidus est in maximo salutis periculo.
206.

V.

- V**isitationes Venerabilis Sacramenti
tempore Exercitiorum. 18. seq.
Virtutes maximum hominis bonum.
254. seq.
Vita Christi. 233.
Voluntas bona maximum bonum &
maximi meriti. 236. per totam lect.
Voluntas reformanda. 59.

Z.

- Z**elus Animarum. 312. per totam
lectionem.





